

me loch

dum.

dit wo bis

pa ter me

stem re re lo



~~Q. 17. 9~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

W-47.

SIGNAT. CLVCCCXIII.











8

DISPUTATIO  
THEOLOGICA  
DE FESTO CORPORIS  
CHRISTI, ET DEO IN SACRA-  
mento Eucharistiæ adorando,

IN ACADEMIA MOGVNTINA  
Anno M. D. LXXXV. Ad Aprilis  
publicè proposita.

AD QUAM PRO BACCALAVREATUS  
gradu consequendo, responsurus est R. D. F. Fran-  
ciscus Franck, Ordinis S. Dominici professor,

PRÆSIDE  
PETRO THYRÆO SOCIETATIS IE-  
SV SS. THEOLOGIAE DOCTORE  
& Professore Ordinario.

Psalm 75.

*Cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquæ cogitationis diem  
festum agent tibi.*

At impij.

*Incenderunt igni sanctuarium tuum, & in terra polluerunt taberna-  
culum nominis tui. Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul:  
Quiescere faciamus omnes dies festos à terra. Psalm 75.*

Moguntia, ex officina Casparis Behem.





AD LECTOREM.

Cum fraudes agitaret huc & illuc,  
Inuenit varias Satan rebellis  
Longa indagine machinationes,  
Quis sacrum angelici cibi triumphum  
Oppugnet: quid agis benigne Lector?  
An festo interitum times honori?  
Esto forti animo, nihil pericli est:  
Euertit thesium hic breuis libellus  
Infestos erebi furentis ausus.





REVERENDIS ET EXL-  
MIIS VIRIS DD. BALTHASARO  
VVEIGANDO COLLEGIATAE ECCLESIAE  
apud S. Andream Custodi: & Ioanni Rullio summae  
ædis Ecclesiastæ apud Vormatienses, ami-  
cis & Patronis suis plurimum  
obseruandis.

**H**eu quantum hæreticæ furiosa licentia linguæ,  
Sæuit in angelici mystica sacra cibi.  
Balthasar ô adsis, tuq; ô dignissime Rulli,  
Catholica muri pro pietate duo.  
Vestram rursus opem Germana Ecclesia poscit,  
Quæ toties vestræ commoda sensit opis.  
Pergite Catholicos solito feruore tueri,  
Ne sacri pereant annua festa cibi.  
Ecquis enim nitido circumgestatur in auro?  
Is, qui olim manibus se tulit ipse suis.  
Ille idem Christus qui nostri accensus amore,  
Virginæ subijt viscera casta domus.  
Fallat odor nares, fallatur lingua sapore,  
Fallat candidulus lumina nostra color;  
Vera tamen Christi vox est, & vina cruorem,  
Et carnem fieri, quod modo panis erat.  
Non igitur Cererem veneramus poplite flexo,  
Nec semeles nato thura vapora damus.  
Nos vni Christo festos sacramus honores:  
Quod scelus est vero, thus adolere Deo?

A z

ES




Est eadem hic facies, oculis licet abdita nostris,  
Quam ferijt duro vulnere saeva cohors.  
Sunt iidem crines, qui stillauere cruore,  
Cum premerent lacerum spineaserta caput.  
Hic eadem latitant, iam nullis peruia telis,  
Brachia, quæ duræ fixa steterunt trabi.  
Hic demum latus illud idem est, donum vnde supremum,  
Mista salutifero sanguine fluxit aqua.  
His agitur membris patrio de more triumphus;  
His imò his solis festus habetur honor.  
Quod scelus est Christo deuotas tendere palmas?  
Dulciaq; ambrosio neçtere sarta cibo?  
Balthasar ô adsis, adsis dignissime Rulli,  
Propugnate sacri tempora festa cibi.  
Quicquid ab eloquio vitæ & candore potestis;  
Hereticos contra fortiter ite dolos.  
Auxilio venere theses. Verum horret in hostes  
Absq; patrocínio paruulus ire liber.  
Rullius aspiret, faueat VVeigandus & vnus,  
Fortiter armatis obuius ibit equis.

F. Franciscus Franck ordinis.  
S. Dominici professus.

DISP. V.



DISPUTATIONIS  
DE FESTO CORPORIS  
CHRISTI, ET DEO IN EUCHA-  
ristiæ Sacramento adorando,



CAPVT PRIMVM.

*Ostenditur per se malam non esse Festi Corporis  
Christi institutionem.*

I.



VE MADMODVM DE ACTIONIBVS, I.  
ita de Christi Corporis festi institutione iudicare  
necesse est: vt si mala sit, aut de eorum sit genere,  
quæ ex se mala sunt; aut illorum, quæ mala idcirco  
sunt, quia lege aliqua humana, vel diuina prohibita.

2. Ad secundum hoc genus ipsam referri, nullus sanæ mentis  
dixerit. Siquidem diuina lex, quæ interdixerit, produci potest  
nulla. Humana produci potest; verum non quæ ipsi autoritatē  
adimit; sed quæ insigniter confirmat: lex, inquam, à supremo  
Christi in terra Vicario, Diuiniq; Petri successore lata; lex vniuer-  
salis Ecclesiæ, in Cōcilio Viennensi, autoritate confirmata; lex  
omnium nationum consensione approbata & recepta.

II.

*de reliq. et ve-  
ner. SS. titulo*

16.

3. Ex se vero mala esse non potest, nisi vel quia festos dies  
esse, malum est, vel ob Corporis Christi honorem esse, malum  
est. Vtrumq; æstimatur vel ex Dei honore, qui ipsis tollitur; vel  
ex bonis moribus, quæ violantur; vel ex communi Christianæ  
Reipublicæ tranquillitate, quæ perturbatur.

III.

4. Festum nostrum, horum trium nullum secum afferre,  
sequētib; demonstrabimus; ne vero de festis omnibus tale quid  
suspiciemur, nec præteritorum temporum conditio, nec genti-  
um, populorumq; omnium consensus, nec lex naturæ visceribus

IIII.

A 3,

nostris.



nostris inclusa permittunt: hæc omnia, quemadmodum Deum colendum; ita tempora statosq; dies, quibus colatur, definiunt.

V.  
*Genes 2.*

5. Naturæ, & generis humani author Deus, ipso statim temporis initio postquam machinam hanc, quam conspiciamus, sex dierum opere condidisset, distinxisset, & ornasset, septimo die sibi statuit quiescendum; non operis molestia defagitatus: sed vt diei illi benediceret, vtq; posteritas omnis sciret, certo sibi tempore ab operibus seruilibus cessandum, & in hac mundi machina contemplanda, diuinisq; beneficijs, grata memoria recolendis, esse versandum.

VI.

6. Hoc fuit initium dierum festorum: quod vetustate nihil habet prius, authore nihil excellentius. at quanti, & quam celeres eorundem postea progressus? Omitto priuata Sanctorum Patriarcharum studia, qui non vno in hebdomade die contenti; quotidie sua stata & diuinis seruitijs consecrata tempora habuerunt; quis ignorat cum Dei populo festos quoq; dies creuisse?

VII.

7. Vix excellens aliquod beneficium à Deo conferebatur; cuius non memoriã sacer dies ad hoc institutus reuocaret. Quocirca quemadmodum inter septimanæ dies fuit Sabbati festiuitas, ad commonefactionem beneficiorum Dei in creatione, & rerum sustentatione; ita in mensibus erant Neomeniæ, quibus astrorum motus, & vices temporum tanquam peculiare opus Dei attendebantur; ita in principio & exitu anni constitutæ festiuitates, ob recordationem bonorum toto anno acceptorum.

VIII.

8. Neque his Deus contentus fuit, de illustrioribus beneficijs alias solennitates addidit, quales sunt Paschæ, quæ populum educationis ex Aegypto, & in terram promissam introductionis; Pentecostes, quæ promulgatæ legis & constitutæ Ecclesiæ Israëliticæ; Tabernaculorum, quæ beneficij in deserto quadraginta annis exhibiti, &c. commonefaciebant.

IX.

9. Et quod festorum authoritatem non parum auget; institutos à se dies certis ceremonijs circumscripsit. voluit prorsus cessandum ab operibus seruilibus: significauit quibus ipsos vellet celebrari sacrificijs, addidit comminationes poenarum in prophatores



phanatores : & præceptorum suorum violatores grauiſſimis  
pœnis multauit.

10. Ad hoc diuina authoritate festos dies, alij hominum vo-  
luntate assumpti accesserunt. Nam quæ iustissimæ existimaban-  
tur causæ, vt Deus præciperet; eadem æquissimæ habebantur, ob  
quas novos ipsi assumerent, & posteris imponerent. Hinc sacer  
est Iudæis dies, quo speciosam de superbo Holoferne victoriam  
reportauit Iudith. sacer est, quo cum summa Amanni ignominia,  
ex præsentissimo vitæ fortunarumq; discrimine erepti. sacer,  
quo repurgato templo, à gentiliū sordibus, facta sunt Hieroso-  
lymis Encænna. sacer, quo Iudas Machabæus adiutus precibus  
Oniæ & Ieremiæ, Nicanorem confecit.

11. Sed tamen in hoc populo mirum non est, quod tempora  
sacra diesq; festos habuerit: quoniam non naturam solum seque-  
batur ducem, verum etiam Dei præceptis imbutus, facile potuit  
quod æquum iustumq; esset, perspicere & perficere. In Gentibus  
mirum est, tantum valuisse naturam & rationis rectæ dictamen,  
vt his solum præsidij institutæ, cognouerint certa quædam tem-  
pora diuinis obsequijs mancipanda esse.

12. Quid, quod tam barbara gens fuerit nulla, nulla tam ab  
omni humanitate aliena; quæ si modo aliquod numen diuinum  
coluit, non hoc in se lumen naturæ obseruauerit, & secuta fue-  
rit: vt mirum sit posse esse inter Christianos, qui, nescio quid su-  
perstitiosum, in temporibus, atq; Deo sacris diebus suspicentur.

13. Habuit & sua ( & quid mirum? ) Christianus popu-  
lus omnibus temporibus festa, & tantum Iudæos atq; gentes hoc  
pietatis genere superauit, quanto clariora diuinæ bonitatis est  
consecutus beneficia. Vetustissimam Ecclesiam post tempora  
Apostolorum, Dominicam diem celebrasse testatur Dionysius  
Corinthiorum Episcopus. Paschatis frequentissima fit mentio  
apud omnes; illudq; non tantum diem Resurrectionis intellexe-  
runt, verum etiam totam illam hebdomadam, quæ Sancta, seu  
Magna dicitur, vt ex Epiphanio colligitur. Quinquaginta die-  
rum Pentecostes meminit Tertullianus, quos omnes vt Pascha  
celebrandos à maioribus se accepisse docet Ambrosius. Festi As-  
censionis

X.  
*Judith cap. 16.*  
*Hesther 9.*  
*1. Mach. 4.*  
*2. Mach. 15.*

XI.

XII.

XIII.  
*apud Euseb.*  
*lib. 1. c. 23.*

*Tertul. deco-*  
*ro. milit.*



*Amb. in 17. Luce.* censionis Augustinus mentionē facit, & ab Apostolis profectum esse insinuat. Natalis Christi anniuersarium diem etiam olim celebratum fuisse ex Chrysofomo colligitur.

*Aug. epist.* 118.

**XIIII.** 14. Ad hos excellentes dies alij in honorem Martyrum primitiua Ecclesia coniunxit. Docet Tertullianus esse traditionem Apostolicam offerre oblationē Deo in Natalicijs Martyrū. *Chrys. oratione de philogonio.* Cyprianus testatur ipsorum passionis dies anniuersaria commemoratione celebrari. Refert Hieronymus pro varietate regionum diuersa in honorem Martyrū constituta esse tempora. Apud *Tertul. lib. de sororo militis.*

*Cyp. lib. 4. epist. 5.* Augustinum mentio fit festorum Laurentij, Sixti, Stephani, Felicis Martyrum: apud Ambrosium Sebastiani, &c.

*Hiero. in 4. ad Gala.* 15. Probat & festos dies ratio. Nam si consecrantur, & diuino cultui deputantur personæ, quæ in se communem omnium

**XV.** *Aug. tract. 27. in Ioannē & in psal. 127. &c.* causam suscipiunt: si certa designantur loca, quæ in prophanos vsus, vbi diuinis semel tradita fuerint, conuertere impiū est: cur non possunt dies & tempora constitui, quibus vel diuina beneficia memoria repetantur, vel Christiana officia singulariori studio exercentur?

*Amb. in psal.* 118. **XVI.** 16. Ergo cum festorum dierum author sit Deus, eosque natura persuaferit, confirmarint homines sancti, religiose coluerit vetustissima Ecclesia, ratio ipsa probet; non potest vlla ratione fieri, vt festum Corporis Christi de eorum genere, quæ per se mala sunt, esse dicamus.

## CAPVT SECVNDVM.

*Ex causis ostenditur non esse iniquam festi Corporis Christi institutionem. & primum ex fine.*

**XVII.** 1. Festi Corporis Christi causæ præcipuæ tres sunt; Efficiens, forma, & finis. In efficiente attenditur autoritas instituentis. In forma ipsa diei institutæ sollemnitas. In fine instituendi festirationes & occasiones. De prioribus causis postea, nunc de fine quæritur, vtum talis sit, vt ob ipsum damnari, vel merito reprehendi possit. Quibus.



2. Quibuscunq; de causis probantur festi dies, quos vel olim  
vetus lex, vel postmodum noua religiose coluit, ijdem profus,  
si non pluribus, præsens Corporis Christi solennitas probatur.

XVIII.

3. In prioribus illis veteris legis, propositum videbatur, vt  
diuinæ clementiæ argumenta maioribus suis præstita, cum grati  
animi significatione populus Iudæorum recoleret: in his noua  
legis præcipua redemptionis nostræ mysteria summa celebritate  
repetimus: ne vt B. Augustinus habet, decursu temporis ingrata  
subrepat tantorum beneficiorum obliuio.

XIX:

Aug. 10. de  
Ciuit. dei c. 40

4. In vtrisque præter gratam memoriam, sæpe mens infor-  
matur, sæpe affectus excitatur. Et illa, vel intelligit, quæ ante  
ignorauit, vel quæ ex parte cognouit perfectius comprehendit:  
Hic vero ex tantorum beneficiorum recordatione assurgit, tum  
ad gratias Creatori agendas, tum ad obsequium suum omne, di-  
uinis iussibus exequendis mancipandum.

XX.

5. Hinc pulchre, Tertullianus antiquissimus author de exer-  
citijs diei dominicæ scribens, sic loquitur. Coimus ad diuina-  
rum literarum commemorationem, fidem sanctis vocibus pas-  
cimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præcepto-  
rum inculcationibus densamus.

XXI.

Tert. in Apo-  
log.

6. Atq; hi fines sunt festorum illorum quæ Dei dicimus, id  
est, quæ vel à Deo præcepta sunt, vel Dei mysteria exhibent. Nam  
quæ Sanctorum sunt, quæq; hominum voluntate constituta, ra-  
tiones quidem egregias habent, sed quæ ad propositam Corporis  
Christi solennitatem, non ita facere videntur.

XXII.

7. Ex dictis manifestum est, quam iustis de causis, vel à Deo  
festi dies instituti sunt, vel ab hominibus vltro assumpti. Æquis-  
simum enim est beneficiorum meminisse: iniquissimum iporum  
memoriam deponere.

XXIII.

8. Nunc vtrum Christi Corpus Ecclesiæ in Sacramento esse  
relictum beneficij loco habere debeamus, oportet constituamus,  
antequam propositum concludamus. Et quidem quæ in hoc ne-  
gotio sit totius antiquitatis sententia, vnopotes dici verbo Ag-  
noscit illa misericordem & miseratorem dominum, timentibus

XXIII.

B

se reli-



*Pfal. 110.* se reliquisse escam, in qua memoriam fecerit **MIRABILIVM SVORVM OMNIVM.**

**XXV.** 9. Tanquam maximam hæreditatem Helisæus meloten suscepit: etenim vere maxima fuit heræditas, omni auro preciosior. Et erat posthæc duplex Helias ille: & erat sursum Helias, & deorsum Helias. quid, quod multo maius nos accepimus? Helias meloten discipulo reliquit; filius autem Dei ascendens suam nobis carnem dimisit. sic B. Chrysofostomus hom. 2. ad popul.

*Chrysof.*  
**XXVI.** 10. Et quidem carnem reliquit in cibum, quemadmodum in potum sanguinem. quo quid excellentius esse potest? quis pastor vnquam membris suis oves suas nutriuit? Multæ matres post partum alijs nutricibus infantes dederunt: Christus proprio nos alit corpore, & nos sibi coniungit atq; conglutinat. & hæc Chrysofostomus Homil. 60. ad populum.

*Chrysof.*  
**XXVII.** 11. Quam vero diuina Sacramenti virtus? Eam ex comparatione mannae & aquae de petra fluentis obseruat Cyrillus Alexandrinus. Mannae, inquit, alimentum non æternam vitam, sed breuè famis remedium afferebat; Sanctum verò Christi Corpus, ad immortalitatem, & vitæ æternam nutriens cibus est. Et aqua, (addit) illi de petra biberunt, quid verò inde lucrati sunt, qui mortui fuerunt? Non erat ille potus verus: sed verus potus est sanguis Christi, quo radicitus mors euertitur atq; destruitur. Non enim hominis simpliciter sanguis est, sed eius qui naturali vitæ coniunctus, vita effectus est.

**XXVIII.** 12. Adde quod artissimè se nobis hîc Christus coniungit, nec maiora quàm exhibet, charitatis argumenta præbere possit. Sicuti enim si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera, per totum commisceat oportet: ita si quis carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso sic coniungitur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur. ita idem Cyrillus.

*Cyri. l. 4. c. 17.*  
**XXIX.** 13. Itaq; vt Chrysofostomi verbis vtar, non solum vt per dilectionem, sed etiam re ipsa in suam carnem conuertamur, per hunc cibum, què nobis largitus est, efficitur: & cum suum in nos amorem indicare vellet, per Corpus suum se nobis commiscuit, & in  
vnum



vn̄um nobiscum rededit, vt corpus cum capite vniretur. Hoc profecto amantium maximè est.

14. Quod si igitur tantum est beneficium, quantũ potest esse maximum, præsentia Christi Corporis in Sacramento exhibita; quod quæso crimen est, certum esse institutum diem, quo eius memoria repetatur? Quin imo, quanta est ingratitude nolle certũ definire? quanta vero barbaries, damnare institutum? & vna cũ die tam excellentis beneficij recordationem ex hominum animis tollere? XXX.

15. Si iuste vetus lex sua habuit festa, quæ mentem ad præteritorum beneficiorum memoriam reuocarent: non iniqua, sed iustissima, sed honestissima, sed maximè necessaria debet censi lex, quæ ob tantum beneficium, quantum in hoc Sacramento exhibetur, solemnem diem imperat. XXXI.

16. Voluit Constantinus Magnus vt Dominicũ diem, & eum qui Sabbatum antecedit omnes venerarentur, ob earum rerũ memoriam, quæ à communi omnium nostrum seruatore gesta fuerunt. Idem diem solemnem ad dedicationem templi à se extructi instituit. Festũ, quando puer Iesus in templo à Simeone exceptus fuit, toto orbe celebrari iussit Imperator Iustinianus; quemadmodum Mauritius diẽ dormitionis B. semper Virginis: & damnabitur dies, qua memoria habetur Corporis & sanguinis Domini, tam excellentis diuini amoris argumenti? XXXII.

17. Scio multa habere aduersarios quæ carpant: sed erit suus ad illa respondendi locus, id iam solum nobis concedant, extra crimen esse, quicumq; aut diem sacrum Corporis Christi instituerũt, aut eundem aliquando religiose peregerunt, vt collati beneficij memoriam repeterent. XXXIII.

18. Hæc præcipua festi instituti caussa est, quam exposuimus. Voluit eadem institutione Pontifex hæreticorum insaniam, qui tum temporis insolentius cultum venerabilis Sacramenti oppugnabant confundere: quoniam facile potuerunt deprehendere frustra suos impios labores suscipi, quando hac ratione Christianus populus occasionem arripuit, ardentiori studio maioriq; conatu ad venerationem Sacramenti incumbere. XXXIII.

B 2

19. Neque

*Sozo. lib. 1. c. 8.*  
*Euseb. in vita*  
*Constan. lib. 4.*  
*Niceph. l. 17.*  
*c. 28.*

*de reliq. &*  
*ven. SS. titu-*  
*lorib.*



XXXV. 19. Neq; enim parum profuit olim ad hæreses euertendas, hæc instituen di festos dies ratio. Non potuit longo tempore Iudæorum Sabbatum ex Christiana Repub. propulsari; instituta est dies Dominica, & pulsatum est. Maxima fuit de die Paschatis perturbatio, designatur à Victore Pontifice dominica, & pax restituitur Ecclesiæ. Inuaserat orbem intolerabilis error Trinitariorum, & festi Trinitatis institutione elanguit.

XXXVI. 20. Sed & alij fines cum dictis coniuncti sunt. Quando enim præstiti beneficij memoria exhibetur, informatur simul Christianus populus, quid de Sacramenti veritate, quid de Elementorum cõuersione, quid de multiplici vsu debeat sentire & credere, &c. Et quando doni præstantiam, & dantis liberalitatem exactius perspicit: ad gratiarum inflammatur actionem: & ardentius amare incipit, cuius in se tam ardentem amorem, tam manifestis signis & argumentis deprehendit.

XXXVII. 21. Igitur si æquissimum est beneficiorum Dei esse memorem: si utile Ecclesiæ, orientes hæreticorum machinas anteuertere: si pulchrum de grauissimis Christianæ religionis mysterijs populû informari: fieri non potest, vt ex sine vllum argumentum arripiatur, quo Corporis Christi festiua solennitas damnetur.

### CAPVT TERTIVM.

*Ex authore seu causa efficiente ostenditur Æquitas  
instituti festi Corporis Christi.*

XXXVIII. 1. Sequitur vt iustitiã legis de instituto Christi Corporis festo, ex causa efficiente expendamus. multa hic aduersarij obijciunt, sed tamen, si æqui Iudices esse volumus, etiam ex hac parte suam festo constare authoritatem reperiemus.

XXXIX. 2. Tria vero esse videntur, quæ hoc in genere causæ festo patrocinantur, authoritas grauissima Romanæ vrbis Episcopi, consensus præcipuorum Christianæ Reipub. capitum in Viennensi Concilio congregatorum, deniq; totius orbis approbatio. Siquidem

*de reliq. &  
venit 16.*



Siquidem Urbanus VIII. festum indixit, Concilium Viennense probavit, Orbis Christianus recepit.

3. Et quidem vel solius populi, id est, maiorum nostrorum exemplum, in hoc negotio sufficere posset, & maximum esse argumentum, in simili pietatis studio persistendi, quando æquissimis de causis eos inductos novimus: sed cum ad horum exemplum, præcipuorum Ecclesiæ capitum accedit consensus, non possumus non probare, & amplecti, quod probarunt & amplexifunt. XL.

4. Non enim parva Patrum istorum fuit autoritas: Pollebant egregia pietate, & doctrina: cognoscebant quid Christiano gregi expediret: & talis erat ipsorum conditio; ut & Christi fidelibus potuerint cum autoritate leges præscribere; & in iisdem nulla ratione, quod aut Dei gloriæ aut bonis moribus aduersaretur, constituere. XLI.

5. Sed neq; si vel populi consensus, vel Principum Ecclesiæ voluntas deessent; sua festo deesset æquitas. Cur enim à primo suo authore, (Romanum loquor Pontificem) habere non potuit plenam absolutamq; autoritatem? Defuit forte eidem legem condendi potestas? defuit probitas? defuit prudentia? XLII.

6. In Principe populi, si hæc concurrant omnia; & libentius lex suscipitur, & studiosius observatur, & diligentius, ne intercidat, cauetur. Siquidem suadet prudentia ut existimemus expedire, quod præcipitur; probitas, ut debene faciendi Principis studio non dubitemus, potestas, ut prompta voluntate imperantis exequamur legem: sed tamen si potestas summa est, non debet ob legem latam, nisi prorsus iniqua sit, difficilis esse populus, etsi corruptis moribus sit Princeps; etsi desideretur, quæ Principem ornet prudentia. XLIII.

7. Et in legislatore, primoq; festi authore ostendere omnia hæc non est difficile: verum quia supra institutionis æquissimos fines probavimus, omissa longiori, de vitæ integritate Pontificis, eiusq; egregia prudentia, oratione, caput quæstionis expendamus, utrum scilicet apud Pontificem ea fuerit potestas, ut potuerit in Ecclesiam, diem festum inducere, quo præcelsum & venerabile  
B 3 rabile



rabile sacramentum, singulari veneratione & solennitate celebratur.

**XLV.** 8. Nos, quod res est breuiter dicimus & docemus, vel in Ecclesia Catholica non esse; vel apud summum eiusdem in terra Pastorem hanc esse, in totius Ecclesie commodum & vtilitatem condendarum legum auctoritatem.

**XLVI.** 9. Quid enim? an apud populum est constituta? Nullo id iure probari potest, non diuino, non humano, non gentium. Potestas hæc cum diuina sit, nullum patrocinium, vel in humano, vel gentium iure inuenit, at diuinum docet, populum non præcepta dare, sed accipere; non regere, sed regi; non docere, sed audire, & superiorum dicto obedientem esse.

**XLVII.** 10. An apud Principes residet seculares? Sed nec hi se diuino possunt iure tueri. præcedunt quoque ipsos longe Episcopi, & qui olim egregia virtute & prudentia claruerunt, etiam oblatum in Sacerdotes imperium reuerenter recusarunt. quid, quod nec qui vniuersis Christi fidelibus præcipere possit, semper inueniatur?

**XLVIII.** 11. An forte apud Episcopos reperiemus? Ne apud singulos constitutam dicamus, probat experientia. quoniam in suos tantum, & non in vniuersos Christianos singuli habent imperium. Si verò in omnibus est, quid tandem potest in Ecclesia constitui? Neque enim omnes vnquam ad Synodum aliquam conuenient: Nam cum dignitate sint pares, quis Synodum conuocabit? Et si conuenirent, quid ad concordiam firmum atque stabile statuere possent? Inter omnes enim potestate pari præditos, quis Synodo præsideret? Si nullus, nonne omnia perturbata forent & confusa? Si aliquis, quis precor iste erit?

**XLIX.** 12. Quapropter si neque apud populum, neque apud Principes, neque apud Episcopos potestas hæc constituta est; necesse est apud eum sit, cui totum gregem pascendum, gubernandumque Christus commendauit.

**L.** 13. Nisi forte dicere velimus, nullam in Ecclesia esse potestatem, nullum regimen, nullum ordinem. verum si hoc non est, quid  
quæso



quæso est, blasphemū esse in Christum? Est Ecclesia regnum: habet *Math. 25.*  
igitur regem. est castrorum acies ordinata: habet igitur ducem. *Cant. 6.*  
est nauis: habet igitur gubernatorem. est ouile; habet igitur Pa- *Math. 8.*  
storem. est domus: habet igitur Patrem familias, vel quem ille *Ioan. 10.*  
suo loco suffecit fidelem seruum & prudentem. *2. Tim. 5.*

14. Potuit igitur Pontifex diem festū Corpori Christi hono- *LI.*  
rando instituere. potuit eundē toti orbi imperare. potuit ad eun- *Math. 16.*  
dem celebrandum commissum sibi gregem obligare. potuit, in-  
quam, hæc omnia, quia Pontifex Romanus fuit; quia Christi  
in terris vicarius, eandē in vniuersam Ecclesiā, quam Dominus  
Petro, primo Romano Pontifici tradidit, habuit potestatem.

15. Hanc Romani Pontificis amplissimam, in vniuersum *LII.*  
Christianum gregem potestatem omnis generis testes confirmāt. *Vide Laur.*  
Patriarchæ, Concilia tam Prouincialia quam generalia, Patres *Arturum di-*  
& Græci & Latini, Imperatores, consensio veteris populi Chri- *spit. de princi-*  
stiani. *patum Petri.*

16. Eandem probant munia quæ in Ecclesia idem semper *qui docte &*  
exercuit, qualia sunt: quod hæreses solus damnarit; omnes Chri- *breviter hæc*  
stianos suis legibus obligarit: Concilijs generalibus præfuerit, *declarat omnia*  
eademq; confirmarit: in omnes Episcopos Iurisdictionem ex- *LIII.*  
ercuerit. vt non immerito & olim habitus sit, & iam apud or-  
thodoxos habeatur, in quæstionibus fidei controuersis iudex,  
in legibus sancendis Princeps, in Concilijs moderator, in cau-  
sis Episcoporum arbiter.

## CAPVT QVARTVM.

*Calumnie potius quam argumento respondetur, quæ  
auctoritatem festi, quæ ab auctore petita est,  
dissoluere conantur aduersarij.*

1. Quod commune hæreticis est, vt mendacio & calumnijs se *LIIII.*  
tueantur, & in prælatorum mores inuehantur, si quando veri-  
tatis patrocinio destituantur, id in oppugnando Christi Corpo-  
ris festo non prætermittunt. Quocirca quia diuinarum literarum  
monu-



*Nigrinus in* monumentis, quia sanctissimorum Conciliorum decretis, quia  
*urbano Kem-* totius Ecclesiae consensione destituuntur: ad calumnias & fabu-  
*nit. in exami.* las conuertuntur, scilicet, ut aliqua saltem ratione festi solemn-  
*Concil. Trid.* tatem leuent. Mulier inquit per visionem admonita. (ô cri-  
*&c.* men inauditum) Pontifici, ut festum institue. et auctor fuit.

**LV.** 2. Nos hic libenter concedimus, fuisse quosdam, quorum vel  
*de reliq. &* precibus, vel hortatione commotus Pontifex, animum ad festum  
*ven.* instituendum appulit. (hoc disertis verbis in suo decreto Ponti-  
fex declarat) at ut in horum numero aut mulier fuerit, aut prin-  
cipem locum obtinuerit, quibus quæso testibus probatur?

**LVI.** 3. Etenim siue Balæus quis author fabulæ fuerit, siue Balæus  
*Nigrin. supra* ex Boschio quodam habuerit: nequaquam horum aut potest,  
aut debet tanta esse authoritas, ut vel vlli cordato fidem faciant,  
cum ob causas alias, tum ob odium quod in Romanam sedem  
alunt vatinianum.

**LVII.** 4. Accedit quod inter se admittunt sunt inconstantes (quod  
mendacibus necesse est accidere) quicunq; hinc aliquod patro-  
cinium suæ causæ quærunt. Produunt alij nomen mulieris, &  
Euam volunt dictam; alij quod tale nomen peregrinum sit, &  
nouum, ne se de fabula suspectos reddant, ipsum reticent. Et hi  
monasticæ vitæ asserunt fuisse studiosam, illi libertatis & virorū  
amantiolem: hi piam, illi dissolutam.

**LVIII.** 5. Quam vero indignum & incontinentis est animi, ipsum  
Pontificem in suspicionem turpis consuetudinis, quæ cum Eua  
aliquando intercessisset, adducere? Et tamen reperiuntur non-  
nulli, quid non solum insinuare non verentur, sed & hanc cau-  
sam fuisse Pontifici instituendi festi impudenter asserunt, non a-  
lijs testibus, quam mentiendi libidine, & Romanum Pontifi-  
cem traducendi studio instructi. Scilicet quales sumus, tales ali-  
os censemus.

**LIX.** 6. Eiusdem generis & illud est, quod ad Euam, Bullam suam  
dedisse Pontificem palam scribatur. sed ut initium Bullæ di-  
sertis verbis explicat: non mulieri, sed Patriarchis, sed Archie-  
piscopis, sed Episcopis, alijsq; Ecclesiarum prælatis præcipitur,  
ut feria quinta proxima post octauam Pentecostes, summa cum  
veneren-



reuerentia, memoriam præstiti nobis in Eucharistiæ sacramento beneficij agant.

7. Scilicet sic se probant mundo Euangelici illi viri; & qua fide in rebus scribendis verentur, produnt, vt mirum non sit, iam olim fabulam de Ioanne VIII. ab iisdem excogitatam esse: & in ipsorum libris reperiri non pauca, quibus præter omnem æquitatem, & veritatem non Romanorum solum Pontificum authoritas traducitur; sed & Catholicorum nomen passim efficitis criminibus reddatur odiosum. LX.

8. Sed fuerit Pontifici mulier instituendi festi author. quid igitur? conciditne omnis ob hoc festi authoritas? Quam multa non in Oriente solum, verum etiam Occidente pie sunt salubriterq; instituta, quibus partim consilio, partim auxilio & amplissimis collatis opibus, mulieres authores fuerunt? LXI.

9. Nisi forte indignum iudicatur, quod per visionem eidem in mentem venerit, vt festi institutionem apud Pontificem vrgeret. verum qua fide quibusq; testibus probatur Pontifici author fuisse mulier; iisdem probatur per visionem ipsi primum in mentem venisse. LXII.

10. Quid, quod ne hac ratione quidquam de festi authoritate decedit? quid, quod authoritas crescit, redditurq; illustrior? quando diuinitus edocta mulier hanc venerationem Sacramenti Eucharistiæ Deo gratam esse cognouisse asseritur? LXIII.

11. Scio non probari omnes visiones Catholicis viris. Scio etiam non passim quasuis reijci. Fuit ipsis sua authoritas in veteri; fuit & in noua lege: & vt ibi Patriarchis atq; Prophetis, ita hic Apostolis, alijsq; sanctissimis hominibus non semel, hac ratione diuina voluntas innouit. LXIII. *Vide theses de Apparit. spiritum.*

12. Verum quidquid de alijs sit, quæ forte suspecta esse possunt; hæc præfecto ( si modo re ipsa accidit ) nequaquam demonum est illusio. Cuius cum plurima sint argumenta, tum illud non postremum est, quod ad ipsorum regnum euertendum, ad Dei gloriam propagandam, ad salutem singulorum promouendam, ( quæ daemones oderunt ) festi huius institutionem plurimum posse, omnes obseruemus. LXV.

C

13. Quocirca



- LXVI.** 13. Quocirca eo loco nobis hæc esse potest; quo illa olim B:  
*Petr. Beut. in* Iacobo Apostolo facta visio, qua ut sacellum Virgini Matri ex-  
*Chron. Hisp.* strueret, admonitus est: quo, facta Constantino; quæ incurabi-  
*s. 23.* lis morbi remedium præbuit: quo, exhibita Ioanni Romano pa-  
*Nicep. l. 1. c. 33* tritio; qua, quomodo res suas optime collocaret, intellexit.  
*Anton. p. 4. t.*  
 15. **LXVII.** 14. Stat igitur adhuc firma & immota festi Corporis Christi  
 autoritas, quando etiam qui eiusdem authores fuerunt, quod  
 instituerunt, iustissimis rationibus pro sua potestate, qua polle-  
 bant amplissima, instituere potuerunt. nunc reliqua persequamur.

## CAPVT QVINTVM.

*Ex causa formali ostenditur non esse iniquam festi Corporis  
 Christi institutionem; & præcipue declaratur iustissimam  
 esse adorationem, quæ in hoc Sacramento Chri-  
 sto tanquam vero Deo exhibetur.*

- LXVIII.** 1. Formam & rationem festi Corporis Christi in duobus rerum  
 generibus possumus constituere. partim in ritibus quos Ecclesia  
 religiose obseruat: partim in alijs quibusdam Christianæ religio-  
 nis exercitijs, quæ sine crimine omitti non possunt. exercitia ha-  
 bet; quia festum est: ritus; quia Christi Corporis festum est.
- LXIX.** 2. Exercitia partim diuino, partim humano iure nitun-  
*Leuit. 23.* tur. Diuinum postulat, ut ab operibus seruilibus, nisi aliud vel  
*Conc. Agath.* necessitas vel pietas postulet, cessemus: humanum, ut diuina of-  
 ficia frequentemus. Hæc, quia omnibus festis comunia sunt, ad  
 disputationem non pertinent. ritus igitur, atq; ceremonias, quæ  
 in Sacramento adorando, colendoq; consistunt, ab omni crimine  
 vindicemus.
- LXX.** 3. Hoc verò præcipuum punctum est; ob quod diei huius in-  
 stitutio damnatur. Siquidem neq; placet Aduersarijs, quod men-  
 te adoremus Sacramentum; neq; quod hoc vel illo officij genere  
 internum cordis affectum protestemur atq; profiteamur. Hic pro-  
 scribunt genuflexionem, pectoris tunctionem, oculorum eleua-  
 tionem,



tionem, coniunctionem manuum, corporum prostrationem, flores, luminaria, instrumenta musica, crepitus bombardarum &c. Ibi & grauiſſimo artolatrias crimine nos reos agunt.

4. Et huius Censuræ si causas inquiras, alias atque alias afferunt. Quibusdam præter nudum panem & vinum in Sacramento est nihil, quibus impossibile est, vt nostram causam iustam præbimus. alij cum pane præsentem agnoscunt Christum; sed tamē damnant adorationem, quia, inquirunt, non potest honor tribui Christo; quin idem in panem redundet. Alij denique etsi Christo honorem non inuideant; in Sacramento tamen recusant. Excusiamus præcipuum caput, atq; vtrum Artolatria sit, cultus Sacramento exhibitus perscrutemur. Neque enim animus est singula refutare, neque præsens disputatio permittit.

LXXI.

5. Artolatria si vim verbi spectemus, cultus est, quò creaturæ panis diuinus honor exhibetur. Hoc grauiſſimum esse crimen, cum ex alijs multis, tum ex eo manifestum est; quod quicumque diuinum cultum creaturæ impendit; quantum in se est, Deum ex solio suæ Maiestatis exturbat, creaturamque in eo constituit.

LXXII.

6. Duo verò sunt, quæ necesse est concurrant, vt hoc crimen admittatur. scilicet, vt quod honoris creaturæ tribuitur, id vni soli Deo sit debitum; deinde vt hoc quidquid est honoris diuini, ita vere impendatur creaturæ, sicut Deo impendi oportuit.

LXXIII.

7. Et nos quidem libenter concedimus, cultum, quem ipso Christi Corporis festo, cum Eucharistiam adoramus, assumimus, diuinum esse: Creaturæ vero panis eundem nos dare, constanter negamus. Quomodo quæso pani deferimus, cum panem in Eucharistia esse nequaquam fateamur?

LXXIII.

7. Docemus cum Cypriano, omnipotentia verbi panē transmutari non specie sed natura. Afferimus cum Ambrosio, operatorium esse sermonem Domini, & panem atque vinum per mysterium orationis commutari. Credimus cum Hieronymo transfigurari. Cum Cyrillo Alexandrino in corpus Christi conuerti, & cum Lateranensi Concilio transubstantiari.

LXXV.

*Cyp ser. de cœna Domini.*

*Amb. lib. 4. de Sac. c. 4.*

*Hier. ep. 1. ad Heliod.*

*Cyrl. in ep. ad*

*Calos. Lat. 6. 10*

C 2

9. Christum



**LXXVI.** 9. Christum in Eucharistia agnoscimus; Christum in Sacramento adoramus; & hoc quod crimen? Nunquid non Pater, teste Apostolo, eundem in orbem terrarum introducens, dicit, Et adorent eum omnes Angeli? an forte quod angelis præcipitur; hominibus prohibetur?

**LXXVII.** 10. Homines fuerunt Magi, qui adorarunt in stabulo; Mulier de finibus Tyri & Sydonis egressa; quæ in via: Cæcus, qui post restitutum oculorum lumen, in templo: latro, qui in cruce: S. Baptista, matris adhuc utero inclusus.

**LXXVIII.** 11. Tanto iustioribus rationibus, in Sacramento sui cultum reuerentiamque; Christus potest imperare & impetrare, quanto pluribus & maioribus charitatis & beneficentiæ argumentis in eodem nos sibi deuincit. Humilius hinc se ad nos dimittit, copiosius hinc dona sua largitur, intimius hinc nostris se mentibus corporibusque immiscet.

**LXXIX.** 12. His de causis iustissimum hunc cultum esse, semper arbitrati sunt sanctissimi simul, & doctissimi Patres. Hinc ad reuerentiam Sacramenti exemplo trium Magorum prouocat B. Chrysostronus; exemplo Thomæ Christum libera voce post uulnerum inspectionem, profitentis, Cyrillus Alexandrinus: exemplo Petri iudicantis se indignum Christi præsentia, S. Augustinus: exemplo Centurionis, Domini oratione, ob insignem humilitatē, commendati, Gregorius Nazianzenus, & Origines.

**LXXX.** 13. Commendarunt eandem adorationem Patres exemplo Angelorum. Pro multis vnus sufficiat Chrysostronus, qui sic habet. Cum Sacerdos Spiritum sanctum inuocarit, & sacrificium illud honore & reuerentia plenissimum perfecerit, communi omnium domino manibus pertractato; per id tempus & Angeli sacerdoti assident, & celestium potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus, in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est. Id quod credere abunde licet, vel ex tanto illo sacrificio, quod tum peragitur. Ego vero & commemorantem olim audiui quendam, cum diceret senem quendam virum admirabilem, ac cui reuelationum mysteria multa diuinitus fuissent detecta, sibi narrasse, se tali olim visione dignum

**LXXX.** Chry. lib. 6. de Sacerd.



dignum habitum à Deo esse, ac per illud quidem tempus de repente Angelorum multitudinem conspexisse ( quatenus humanus aspectus ferre poterat ) fulgentibus vestibus indutorum, altare ipsum circumdantium: deniq; sic capite inclinatum, ut si quis milites praesente rege stantes videat: id quod facile mihi ipse persuadeo. Hæc Chryostomus.

14. Adiungimus his exemplum Gorgoniæ sororis Gregorij Nazianzeni viri eloquentissimi, quod his verbis refert. Laborabat soror corporis ægitudine, & admodum male affecta erat, morbo inconsueto, ac plane peregrino &c. Cum iam de omnibus alijs desperasset, ad omnium confugit medicum: noctisq; captata solitudine, cum illi morbus paruas concessisset inducias, ante altare cum fide procubuit, ac illum quem venerabatur magna voce, ac omni inuocavit conamine, eiq; miracula cuncta, quæ olim fecerat, in memoriam reduxit. Nam & vetusta & noua callebat. Tandem impudentia quadam pia, & pulchra impudens facta, illam imitabatur, quæ ob tactum fimbriæ Christi à fluxu sanguinis est sanata. Et quid nam facit? Super altare caput reclinat, ac cum simili clamore ac lachrimarum profluvio, instar illius, quæ olim pedes Christi rigauit, opem implorat, & non antea se cessaturam esse comminata, quam sanitatem fuisset adeptæ. Inde totum corpus pharmaco illo suo perunxit, & si alicubi manus ex venerando corporis & sanguinis Christi sub exemplari quid recondiderat (pròh miraculum) discessit, cum confestim de corporis salute facta est certa, tam anima quam corpore releuata, mercedem spei sumens id, quod sperauerat, animæque sanitate, corporis etiam valetudinem nacta.

LXXXI.

Greg. in oratione funebri.

15. Præbet etiam se causæ nostræ patronum Apostolus Paulus. Quicumq; (inquit) manducauerit panem hunc & biberit calicem Domini indigne, reus est corporis & sanguinis Domini. Si irreuerentia potest inferri Christo in Sacramento, & quidem tanta, quanta illorum fuit, ut Chryostomus exponit, qui cruci Dominum affixerunt: cur cum tribuitur debita veneratio, Artotriarum crimen committitur:

LXXXII.

1. Corinth. 11.

Chryf. ibidem.

16. Atq; hoc argumentum, si bene iudicamus, non solum

LXXXIII.

C 3

egre.



egregie adorationem Lutheranis & Sacramentarijs probat; verum etiam priorum dogma, de Christi Corporis in Eucharistia presentia confirmat; & horum id est Sacramentariorum apertam impudentiam, eandem presentiam negantium, insigniter perstringit.

**LXXXIII.** 17. Nam si Christi Corpus & sanguis in Eucharistia non est; quomodo qui indigne Sacramenta percipiunt, rei sunt corporis & sanguinis Domini? An reus lesæ Maiestatis Regiæ esse potest, qui Maiestatem Regiam non lesit?

**LXXXV.** 18. Dicent fortasse contumeliam signo & imagini illatam, in ipsum redundare, cuius imago est & signum. placet. verum iam respondeant, cur ipsius signi ( Sacramentum loquor ) recusant adorationem & cultum? cur blasphemii sunt in eos, qui non tantum signum; sed in signo presentem adorant Christum?

**LXXXVI.** 19. Tribuimus vesti eundem cum corpore honorem (Nec enim quisquam, inquit B. Chrysostronus, dicit Regi, Exue purpuram, quam indutus es, aut à throno surge, vt te adorem nudum.) Et tamen nulla vestis tam verè vnitur vestito, quam imago rei, quam repræsentat, ( id est, quam Sacramentum Christo, qui est in Sacramento; ) & Christum adorare non licebit in Sacramento?

**LXXXVII.** 20. Qui coronat imaginem Imperatoris, inquit B. Ambrosius, illum vtique honorat, cuius imaginem coronauit: & qui statuam contempserit Imperatoris, Imperatori vtique cuius statuam conspurcauit, fecisse videtur. Tulit non minus acerbè Theodosius depositam fuisse ab Antiochenis Placillæ statuam, quam si viux vxori contumeliam intulissent; & poterit dare rationem Sacramentarius, cur aut ipse nolit adorare in Sacramento Christum, aut damnet in Catholicis, quod adorent?

## CAPVT SEXTVM.

*Aduersa*



*Aduersariorum expenduntur rationes, num iustae sint, ut  
propter eas quis adorationem Christi in Sacra-  
mento recusare debeat.*

1. Vindicauimus nos ab Artolatria. nullum enim in Sacra- **LXXXVIII**  
mento panem, cui cultum tribuamus, agnoscimus. Ostendimus  
etiam causae nostrae aequitatem, idque rationibus non paucis. vi-  
deamus nunc iustane sit eorum excusatio; qui veritatem quidem  
Corporis & sanguinis Domini in Sacramento cofitentur, sed ta-  
men debitum cultum recusant. Causantur forte quia non propria  
se specie Christus hic exhibet. Timent ne Sacramenta in alium usum  
transferant, quem non instituerit Dominus. Postulant exem-  
pla Maiorum. Urgent diuinum praecipuum. Denique quia ex-  
tra usum, nullum Sacramentum agnoscunt, iustissime viden-  
tur sibi, saltem ipso festo Christi Corporis, & recusare cultum,  
& nos grauissimi criminis Artolatrias accusare.

2. Prima excusatio nulla est. Quid enim interest, qua se spe- **LXXXIX**  
cie Christus exhibeat, modo habeamus praesentem? Potuit sub  
specie hortulani adorare Maria Magdalena: sub habitu pere- *Ioan. 20.*  
grini, duo discipuli in Emaus: sub leprosi forma, Isaias. Et *Luc. 24.*  
qui viderunt illum, quando nec decor ipsi erat, nec species; quod *Isaia 53.*  
crimen commisissent, si tum Deum suum creatoremque fuissent *Matth. 27.*  
reueriti?

3. Adorabant olim sub vestimento quo tegebatur, (Neque **XC**  
enim dicebant exue vestem, quam indutus es Christe; ut te ado-  
remus) & non adorabimus in Sacramento, vbi non minus praes-  
ens tegitur? An alius, vel minus est Christus sub Sacramento;  
quam fuerat sub vestimento?

4. Oculus intuetur speciem panis: mens agnoscit latentem **XCI**  
Christum. quod oculus non potest; percipit & comprehendit  
mens: assurgitque affectus ad colendum suum Creatorem, non ab  
oculo



oculo inuitatus ad panis & vini species, sed ab intellectu raptus ad Christi verum corpus & sanguinem.

**XCII.** 5. Secunda quoque nulla est excusatio. timent scilicet homines religiosi, ne in alium usum Sacramenta transferant, at si proprium usum non tollunt; si contrarium non introducunt; bona possunt conscientia omnem procul propulsare timorem.

**XCIII.** 6. Assumpsit humanam naturam Dominus, ut hominum procuraret salutem; non ut gloria & honore coronaretur: & tamen gloria coronatur & honore, accipitque nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu genu flectatur omne, caelestium, terrestrium & infernorum. Mirabilium operum fuit patrator, non ut ex ijs laudem haberet; sed ut Patris sui promoueret regnum, & hominum subueniret necessitatibus: nec tamen laude caruit humana, & omnia proclamatur bene fecisse.

**XCIII.** 7. Olim à Deo in deserto Iudaeorum genti manna praebebatur ut cibus esset; & non manducabatur solum, verum etiam conseruabatur, & in honore habebatur: & tamen culpa vacarunt Iudaei, & pluribus argumentis studiū suum placuisse Deo, obseruarunt.

**XCIV.** 8. Ad Cornelium Centurionem ( ut actuum historia docet ) Petrus vocatur ut viam salutis ostendat, & caelestibus imbuat sacramentis: & sine crimine est Cornelius, quando Petrum, quo par est honore & reuerentia prosequitur.

**XCVI.** 9. Nunquid Regem quempiam, si forte per regiones nostras transiturus sit, aut negotia quaedam nobiscum tractaturus, nullo dignabimur honore? Si vero hoc in ciuilibus animi argumentum est, qua ratione nos purgabimus, si Christo, dum in Sacramento animæ se cibum exhibet, suum honorem recusamus?

**XCVII.** 10. Sed & nulla est tertia accusatio, quoniam exempla quæ petunt, suppetunt & illustria & plurima. Offerunt Chryso-  
*Chrysol. lib. 6. de Sacerd.* mus, & Gregorius, Angelorum choros, ipsa consecrationis hora  
*Greg. l. 4. dia. log. c. 58.* altare circumdantes. Producit B. Augustinus totam antiquita-  
*Aug. ep. 120.* tem, quando tum demum docet Christianos participes factos in-  
*ad Heno. c. 27.* cruentorum mysteriorum, vbi qua par est reuerentia Christum in Sacramento adorauerunt.

11. Vrgent



11. Urgent quoque diuinum præceptum, Sed liceat & nobis **XCVIII.**  
percunctari ab Aduersarijs, vtrum omnem rationem religionis,  
quam in suis Synagogis seruant; præceptis diuinis confirmare  
possint? Præterea, censeantne omne illud reijciendum; quod  
in scriptura non habetur imperatum?

12. Multa profecto sunt, quæ bene fiunt, licet præcepta non **XCIX.**  
sunt. Sic in hoc negotio insignem laudem reportarunt Centurio,  
Magi, Petrus, Cæcus, Ioannes Baptista, discipuli Christi, alijq;  
permulti: qui quod Christum adorarint, docent diuina eloquia;  
quod Christi præcepto fuerint compulsi, non docent.

13. Sed nec præceptum nobis deest diuinum. Expressa est **C.**  
sententia Dei Patris; qui, cum primogenitum suum introducit *ad Heb. 1.*  
in orbem, vult, adorent eum omnes Angeli. expressa est Filij, *Matth. 4.*  
qui Dominum Deum docet adorandum, & illi soli seruiendum.  
quid multis? Omnibus ijs locis adorationem Christi probamus;  
quibus, vt Deum infinitum colamus, iubemur.

14. Addo quod etiam, vt in Sacramento Christum adoremus **CI.**  
iubeamur. Nunquid scriptura, vt scabellum pedum eius ado- *Psal. 88.*  
remus, præcipit? Atque scabellum Christus est in Sacramento *Aug. in psal.*  
latens. Audiamus hæc egregie explicantem, in diuinis literis & **88.**  
exercitatissimum & oculatissimum Augustinum. Quid, inquit,  
habemus adorare? Scabellum pedum eius. Videte fratres, quid  
nos iubeat adorare propheta. Alio loco scriptura dicit: Cælum  
mihi sedes; terra autem scabellum pedum meorum. Ergo terram  
nos iubet adorare, quia dixit alio loco, quod sit scabellum pedum  
Dei? Et quomodo adorabimus terram, cum dicat aperte scri-  
ptura, Dominum Deum tuum adorabis: & hic dicit, Adorate  
scabellum pedum eius? Exponens autem mihi, quid sit scabellum  
pedum eius dicit. Terra autem scabellum pedum meorum. An-  
ceps factus sum. timeo adorare terram; ne damnet me qui fecit  
cælum & terram. Rursus timeo non adorare scabellum pedum  
Domini mei, quia Psalmus mihi dicit: Adorate scabellum pe-  
dum eius. Quæro quid sit scabellum pedum eius, & dicit mihi  
scriptura: Terra scabellum pedum meorum. fluctuans conuer-  
to me ad Christum, quia ipsum quero hic; & inuenio, quomodo  
D sine



317  
fine impietate adoretur terra; sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit; & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit; inuentum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Hastenus B. Augustinus.

**CII.** 15. Sequitur vltima excusatio, qua cultum negant, quia Christum in Eucharistia, quando ipsa non sumitur, negant. verum quomodo hoc negare possint non video, nisi simul Christum negent. Si enim Christum confitentur; cur non credunt veracem? Quod si verax est; profecto non potuit decipere, cum presentibus omnibus discipulis diceret: Hoc est Corpus meum. atque cum hoc diceret; nondum sumebatur Sacramentum ab Apostolis. prius dixit: postea dedit: tandem sumptio secuta est.

**CIII.** 16. Deinde, quid est quod elementa transmutauit? num Christi oratio; an sumptio Apostolorum? Si oratio Christi; ergo oratione absoluta, fuit facta transmutatio. Si sumptio; non debuit Dominus asserere, hoc esse corpus suum quod porrigebat, sed hoc futurum esse suum corpus: tum scilicet; cum, quod ipse manibus tenebat, sumpturi essent Apostoli.

**CIII.** 17. Et hodierna die, quis tandem Sacramenti minister est? nunquid Sacerdos rite consecratus; an homo quiuis Sacramenta percipiens? Si non quando arcana illa verba proferuntur, Christi praesens est Corpus; sed tum primum adest, vbi panis sumitur; quid quæso opus est verbis Christi? Communis est omnium Theologorum, post B. Augustinum, sententia, fieri sacramentum, quando verbum accedit ad elementum.

**CV.** 18. Constitramus quod quis eo animo altare accedat; vt Sacramentum accipiat; repentino vero casu, ne accipere possit, prohibeatur; aut ipse mentem mutet; nunquid casus, aut voluntas



luntas efficit: vt in Eucharistia desinat esse Christus? quæ quæso hæc Theologia? ex quibus scholis petita?

19. Non video cur Corpus Christi in ea sit hostia, quam manu tenet sacerdos, dum verbum profert, ori que manducaturi reuenter imponit; & non sit in ea, quæ paulò post sumenda in sacramento reseruatur.

CVI.

20. In summa, paradoxum hoc, nec sacrarum potest probari scripturarum autoritatibus, nec Conciliorum vllis decretis, nec patrum consensione, nec traditione maiorum. Vera est Gregorij Nysseni, cù vniuersa Catholica Ecclesia, sententia; Panis inquit per Verbum Dei sanctificatur, non quia comeditur eò progrediens, vt verbi corpus euadat: sed quia statim per verbum in corpus mutatur.

CVII.

*Nyss. in Catcc.*

21. Atque hæc omnia non eo fine à nobis dicuntur; vt Aduersarijs adorationem persuadeamus; sed vt nostræ causæ æquitatem probemus. Cupimus intelligant; nos non male facere: rogamus ne nos in Sua cena adoranda, velint imitari. Adorare non possunt; nisi grauissimo se Idolatrias crimine obstringant. sola forte posset excusare ignorantia. Cum enim non Sacramentarij solum, verum etiam Lutherani fere non habeant, quibus Sacramenta conficiendi potestas collata est ministros; quæso quid possunt præter communem & quotidianum panem in Sacramento percipere & porrigere?

CVIII.

## CAPVT SEPTIMVM.

*Ab iniuria externus cultus & adoratio erga Sacramentum Eucharistiæ vindicantur. Et primū omnium ostenditur pompam, quæ in festo Corpori Christi exhibetur, non esse superfluum.*

1. Ab interno cultu & vero, transeamus ad externum. In hoc aduersarij vel pompam damnant superfluum, vel prophanam superstitionem, vel hypocrisim Pharisæicam, vel horrendam im-

CIX.



dam impietatem. Ad pompam referunt aureas argenteasue the-  
 cas, apparatus luminum; peristromatum à parietibus depen-  
 dentium fastum, iactationem frondium & florum per vias, mu-  
 sicorum instrumentorum concentum, crepitum bombardarum.  
*Remnit. in ex. & his similia. Ad superstitionem, cruci signationes quæ super*  
*am. de festo Cor populum hoc Sacramento formantur in aëre, & eiusdem Sacra-*  
*ppris. Christi.. menti circumlationem. Ad hypocrisim; pectoris tunctiones, ma-*  
 num coniunctiones, geniculationes, aliosque corporis gestus.  
 Ad impietatē, vnius saltem speciei circumlationem, vt quæ mu-  
 tilationem, vt volunt, Sacramenti confirmat.

**CX.** 2. Primum omnium, non putamus tantum desipere Aduer-  
 sarios, vt præter internum illum & mentis, nullum velint ad-  
 mittere cultum: quoniam, præterquam quod sine illo nec ipsi  
 viuere possunt; eundem probat Christi exemplum & præceptū,  
 commendat veneranda antiquitas; ratio suadet & imperat.

**CXI.** 3. Christus probat in miraculorum patracione, quando nunc:  
*Ioan. 11.* sursum leuat oculos ad Patrem, nunc digitos inserit auribus  
*Marc. 7:* surdorum, nunc extensa manu eos tangit, qui aduersa laborant:  
*Matth. 8. 26.* valetudine. Probat in oratione, quam ad Patrem fecit grauissi-  
 ma; in qua & genu flectit, & in terram procumbit, & idem re-  
 petitis verbis ingeminat. Probat in Sacramentorum institutione,  
 quæ, si externus ritus non sunt, quæso quid sunt?

**CXII.** 4. Eundem commendat veneranda antiquitas. Quid enim?  
*Vide Camisij* In solo Baptismi Sacramento quam varios ritus obseruarunt ma-  
*auct. de Sacra.* iores nostri? Exorcismos probarunt Augustinus, Chryostomus,  
*ingen.* Ambrosius, Optatus Milleuitanus: Vnctiones Irenæus, Cyril-  
 lus, Tertullianus: Benedictionem aquæ Dionysius, Basilius, Cy-  
 prianus.

**CXIII.** 5. Persuadet externum cultum etiam ratio preclare siquidem  
*Damas. lib. 4.* à Ioanne Damasceno notatum est, quoniam ex natura duplici  
*6. 13.* constamus, spiritali & corporea; duplicem quoque nos adora-  
 tionem Deo debere; interiorem vnā, alteram exteriorē, quæ  
 ab interiori proficiscatur; vtrāque cum adhibemus, tunc ve-  
 rissime in spiritu adorare & veritate, vt quæ in consensione ope-  
 ris externi, cum interna mentis deuotione cernitur.

6. Non



6. Non indiget quidem hoc externo cultu Deus; sed nec CXIII.  
indiget illo interiori: è re tamen est nostra; quia iudicium est  
huius interioris, eumque non conseruat solum, verum etiam fo-  
uet & auget. Accedit, quod eodem retinetur religiosa discipli-  
na, fouetur publica tranquillitas, quæ sæpe rituum externorum  
aut immutatione, aut inuouatione grauitè interturbatur.

7. Ex se igitur externus cultus reprehensione vacat. Sed su- CXV.  
perflua damnatur pompa. Ita scilicet potest esse nimia pom-  
pa, possunt sumptus esse intolerabiles, qui ad Dei Creatoris, Re-  
demptoris, omniumq; bonorum largitoris honorè fiunt: & quos  
in res prophanas, atque vtinam aliquando etiam non in perni-  
tiosas facimus, probantur? Ferimus non inuiti mundum mu-  
liebrem, conuiuemus ad communè diuitum fastum, & magna-  
rum principumq; luxum immensum, qui magnam Reipub.  
perniciem frequenter inuehit, non admodum reprehendimus;  
& nobis modum in reprehensione ponere non possumus, quan-  
do Christi videmus in Sacramento illustrari gloriam?

8. Si mens ipsa non potest se satis suo Creatori subijcere: si CXVI.  
quod corporibus possumus, sine vllò crimine obsequium impen-  
dimus: cur censetur prodigi; si externa & fortunæ bona, quæ  
longe prioribus illis sunt interiora, ad gloriam eiusdem expen-  
dimus?

9. Gratissimos hos Deo sumptus esse, declarant horrenda om- CXVII.  
nibus temporibus, de sacrilegis, & qui hos ferre non potuerunt,  
ingratis hominibus, sumpta supplicia. Manasses eiusque filius 4. Reg. 21.  
Amon, ambo regia dignitate apud Iudæos illustres, quia Hiero-  
solymorum templum spoliauerunt, opibus simul & regno sunt  
priuati. In prophanos vsus sacra vasa adhibet Assyriorum Rex Daniel 5.  
Balthasar: & quo tempore sibi felicior videbatur, diuinam sensit,  
eamq; grauisimam vltionem. Didicit Heliodorus à duo-  
bus equitibus egregie flagellatus, quid sit auro velle spoliare sa-  
crarium. Antiochus mille octoginta talenta de templo abri- 1. Mach. 9.  
puit: & sacrilegum statim secutus est dirus viscerum dolor: nec  
suis solum, verum etiam sibi, ob grauem factè rem scatenesque in 2. Mach. 5.  
corpore vermes redditur intolerabilis. Auferret ex æde S. Sophiae

D 3: insignem



*Blond. decad.* insignem Iaspidibus, alijsque gemmis coronam Leo Imperator,  
*2. lib. 1.* suoque capiti superbè imponit: & post paululum febrì correptus,  
*Greg. Tur. l.* infelicem exhalat animam. Milites Thodorici Gotthorum  
*3. c. 11.* Regis Iuliani Martyris in Arnési ciuitate diripiunt templum: &  
ecce ab immūdis spiritibus correpti, mutuis se dentibus lacerant.

**CXVIII.** *Matth. 26.* 10. Iudæ ingenium est exandescere ob cultum Domino exhibitum, perditionem, oleumque effusum frustra causantis: sed ingenium furis, sed latronis, sed hominis, qui maioris facit modicum & sordidum lucrum, quam Magistri sui vitam salutemque. At quàm sunt aliæ cogitationes Christi? seueris verbis repulit inuidum & rapacem obtrectatorem; mulieris repræhensæ defendit innocentiam; laudauit liberalitatem. Bonum, inquit, opus operata est. quid? famam eiusdem ad extremos fines terræ perferendam, & omnibus sæculis prædicandam grauissima oratione declarauit.

**CXIX.** 11. Nihil est in nostra pompa, quod veneranda Antiquitas egregijs exemplis non probet: nihil quod non commendet.

**CXX.** 12. Damnatur cereorum & luminum in media luce vsus ab Aduersarijs. Sed idem fuit Apostolorum temporibus, idem seculis omnibus sequentibus. In funere B. Virginis Matris cereos ardentescque faces prælatas fuisse, testatur Nicephorus. Refert Theodoretus cucurrisse per pelagus, quasi per terram, populum Christianum; lampadibus & cereis omnia implēsse; vbique lætitiæ argumenta reliquisse, quando Chrysoctomi corpus translatum est Constantinopolim. Paschales peruigilationes Constantinum Magnum ornasse lampadibus, & tota vrbe columnas seu moles cereorum accendisse, scribit Eusebius. Gregorius Nazianzenus ad piam pompam, qua corpus fratris relatum fuit, putat pertinere, quod mater faces gestarit accensas. Probat idem quod tota ciuitas coruscarit lumine; quando ab exilio rediens exceptus est Athanasius. Meminit lampadum & cereorum B. Hieronymus, dum illustrem Paulæ describit pompam. Olim Sanctos cum Christo regnantes, eorumque monumenta accensis lampadibus honoratos fuisse, his carminibus testatur Paulinus;

*Arca*



*Aurea nunc niueis ornantur limina velis,*

*Clara coronantur densis altaria lychnis,*

*Limina ceratis adolentur adora papyris,*

*Nocte dieq; micant, sic nox splendorq; diei*

*Fulget, & ipsa dies cœlesti illustris honore*

*Plus micat, innumeris lucem geminata lucernis.* Sanctorum reliquijs & cineribus hunc honorem piè religioseque derulerunt Maiores nostri: & nos sine crimine esse non possumus, quando eundem ipsum Christi corpori exhibemus?

13. Damnantur flores, & rami, atque peristromata à parietibus dependentia. Verum exemplum probat Apostolorum; quando (vt testatur Nicephorus) etiam flores sparsi honestarunt funus Virginis Matris. Nepotianum presbyterum laudat Hieronymus, quod sollicitus esse soleret; si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si sacrarium mundum, si vasa luculenta. Idem basilicas diuersis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis adumbrabat. Et Constantini tempore diuina ara in Hierosolymorum templo regijs tapetibus, donisque aureis & gemmatis conspiciebatur ornata. Commendat mulierem B. Augustinus cæcam; quæ ad sacra pignora Stephani Martyris detulit flores. addit ibidem, quod cum traditos recepisset, oculisque admouisset, visum protinus recuperauerit. Libet aliud ipsius Augustini verbis ascribere exemplum. Fuit, inquit, ibi, id est, (Calamæ in Hispania) vir in ordine suo primarius, nomine Martialis, æuo iam gravis, & multum à religione abhorrens Christiana. Habebat sane fidelem filiam & generum eodem anno baptizatum. Qui cum ægrotantem multis & magnis precibus & lachrimis rogarent, vt Christianus fieret; prorsus abnuit, eosq; à se turbida indignatione submouit, Visum est genero eius, vt iret ad memoriam Sancti Stephani, & illic pro eo, quantum posset, oraret; vt Deus illi daret mentem bonam, qua credere non differret in Christum. Fecit hoc ingenti gemitu, & fletu, & synceriter ardente pietatis affectu: deinde abscedens aliquid de altari florum, quod occurrit, tulit: eique cum iam nox esset, ad caput posuit. Tunc dormitum est: & ecce ante diluculum clamat, vt ad Episcopum

CXXI.

*Niceph. lib. 2.*

*c. 22.*

*Hier. epist. ad*

*Heliod.*

*Aug. l. 22. de*

*Ciuit. c. 8.*

*Ibidem.*



scopum curreteretur; qui mecum forte tunc erat apud Hipponem. Cum vero audisset eum ab entē; venire præsbyteros postulauit. Venerunt, & statim se credere dixit. admirantibus atque gaudentibus omnibus baptizatus est. Hoc quamdiu vixit, in ore habebat; *Christe accipe spiritum meum*: cum hæc verba beatissimi Stephani, quando lapidatus est à Iudæis, vltima fuisse nesciret; quæ huic quoque vltima fuerunt. Nam non multo post etiam ipse defunctus est. Sic B. Augustinus. Hæc omnia vero quemadmodum testimonia sunt illustria studij & pietatis antiquæ; ita non possunt non magnū esse ad rem nostram Aduersarijs probandam præsidium.

**CXXII.** 14. Damnantur aureæ & argentæ, quibus Sacramentum includitur, thecæ. At B. Hieronymus ingenue fatetur se non reprehendere, quod quidam Ecclesias ædificent, illasq; columnis aureis, & marmorum crustis ornent, sed & ebore argentoque valuas & gemmis aurata distinguant altaria. Quid? Helenæ studio nunquid ornatum fuit altare pallijs regalibus? aureis vasis? lapidibus preciosis? Notat Alexandrinus Patriarcha Gregorius, edixisse Theodosium Imperatorem, vt S. Ioannis Chryostomi reliquæ omni honore, & præclaris pallijs, ad hoc ipsum paratis, exciperentur. Pulcheria Imperatrix, cum quadraginta Martyrū reliquias inuenisset, pretiosissima theca easdem honestauit. Hæc licent, nostra non licent? Pietas est inquit, Tertullianus, pro pietate sumptus facere.

*Hier. epist. ad Demet.*  
*Greg. in vita Chryf.*  
*Sozom. l. 9. c. 1 Tert. in Apo. 6. 39.*  
**CXXIII.** 15. Denique damnatur cantus & Musicorum instrumentorum concentus. Sed exemplo Michol, quæ mariti Regis laudabilem Deoque gratam pietatē Ethnicis oculis aspexit: quæ sancti viri coram arca saltantis simplicitatem, paremque erga Deum deuotionem superbe contempsit: quæ ob hanc ipsam insolentiam meruit, vt perpetuo sterilitatis opprobrio diuinitus puniretur. Quanto melius nos facimus, qui exemplum sequimur, non Dauidis solum, verum etiam Angelorum? qui Christi præsentiam ferre sine iubilo & adorationis gestu nequeunt, siue in præsepio iaceat; siue gloriosus ascendat; siue in cælo ad dextram Patris eū autoritate sedeat, siue sub aliena specie nobis se in Sacramento exhibeat.

CAP VI



## CAPVT OCTAVVM.

*Ostenditur nihil esse superstitiosum in externo cultu, quo  
Sacramentum populus Christianus die Cor=  
poris Christi prosequitur.*

1. In cultu externo duo sunt, quæ superstitiosa videri possant: **CXXIII.**  
Sacramenti circumgestatio; & quod eodem Crux in aëre forme-  
tur, & populo benedicatur. Sed quemadmodum nulla fuit, quæ  
damnari potest pompa; ita si recte iudicabimus, nulla erit, quæ  
merito reprehendatur, superstitio.

2. Circumgestatio enim, (vt hanc primum expendamus) **CXXV.**  
cur quæso damnatur? An quia Corpus Christi de loco ad locum  
transferre superstitiosum est; an existimare, hac ratione obsequi-  
um præstari Deo; an denique quod hinc commodum aliquod  
expectatur?

3. Primum superstitionis habet nihil. Negare citra iniuriam **CXXVI.**  
Sacramentum de loco ad locum posse transferri; aut hominis  
non est, aut certe non vtentis ratione. Non potuit Christus Cor-  
pus suum in cœna distribuere; si quod manibus tenebat, non de-  
buit porrigere. Non debuerunt Apostoli porrectum sumere; si si-  
ne crimine, eiusdem latio fieri non potuit.

4. Primi temporibus quot Sacramenti translationes noui- **CXXVII.**  
mus? & tamen vt superstitiosas damnamus nullas. Transfere-  
batur ad ægrotos ex templis, qui prospera vt ebantur valetudine,  
secum deferebant domum. & qui conuentus hominum fugie-  
bant, & in eremis ab omni hominum societate separati dege-  
bant, idem secum sumebant: & quando pietas suadebat, vel ne-  
cessitas; diuinis Sacramentis communicabant.

5. Nisi forte hæ circumgestationes probentur, quod cum ve- **CXXVIII.**  
ro Sacramenti vsu, qui in sumptione consistit, coniunctæ sint;  
damnetur nostra, in qua, non vt sumatur circumfertur. At non,  
hoc iam disputatur: id solum quæritur, si ne ipsa per se latio ex  
genere eorum, quæ superstitiosa sunt.

E

6. Quid



**CXXIX.** 6. Quid, quod non semper cum Sacramenti sumptione latio coniuncta fuit? Ad morbos propulsandos; ad dæmonum illusiones arcendas vel abigendas; ad terrorem pertinacibus incutendum; ad restringendos ignium globos prolatam nouimus Eucharistiam. Exemplis hæc probare non est necesse. quæ dicimus nouerunt docti. Sic olim externis Episcopis Romam uenientibus in symbolum pacis & vnionis transmissam esse, testis est Eusebius.

*Eus. l. 5. c. 24.*

**CXXX.** 7. Quod si latio ex se superstitionis habet nihil; profecto ob honestum finem, Dei inquam gloriam si suscipiatur, non potest damnari. Quoniam quæ ex se bona malaue non sunt; ex fine & voluntate eorū à quibus efficiuntur, iusta reputantur vel praua.

**CXXXI.** 8. Sed parua est, dicis, quæ ex hac circungestatione, in Christum redundat gloria: Verum quantacunque sit, reprehendi non potest. deinde sit parua: à magno tamen populi Christiani studio & voluntate potest proficisci, qui nullas velit, ne minimas quidem, negligere rationes, quibus Christi gloriam in Sacramento illustrari arbitratur.

**CXXXII.** 9. Sepenumero non attendit Deus quæ quantæue faciat quis; sed quanto cum studio & voluntate. Placuit aliquando uidua, quæ duo offerret minuta: displicuit Pharisæus; qui magnas auri partes. Non obliuiscitur aliquorum, qui calicem aquæ frigidæ porrexerunt sitienti: quosdam ignorat, qui in nomine ipsius prophetarunt, dæmonia profligarunt, virtutes magnas perpetrarunt.

*Luc. 21.*

*Matth. 10.*

*Matth. 7.*

**CXXXIII.** 10. Denique quod ex hac circumlacione sine superstitionis crimine fructus aliquis expectetur (tertium hoc argumentationis fuit membrum) per suadet Dei præceptum olim Iosue iubentis circumferri arcam ad muros Iericho subuertendos: persuadet exemplum populi Iudæorum, qui eiusdem arcæ circungestatione aliàs sæpe Deum habuit propitium.

*Iosue 6.*

*2. Reg. 2. c. 16.*

**CXXXIII.** 11. Ad causam nostram plus facit, quod de fratre suo Satyro refert Ambrosius: Quid fratris (inquit) obseruantiam erga Dei cultum prædicem, qui nondum perfectioribus initiatus mysterijs

*Amb. orat. fun. de fratre.*

sterijs



sterijs in naufragio constitutus, eum ea qua vehebatur nauis scopuloso illisa vado, vrgentibus hinc inde fluctibus solueretur; non mortem metuens; sed ne vacuus mysterij è vita exiret, ab initiatis diuinum illud fidelium poposcit sacramentum: nec vt curiosos oculos arcanis insereret, sed vt fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario; & orarium inuoluit in collo, atque ita se deiecit in mare; Non requirens de nauis compageresolutam tabulam, cui supernatans se tueretur, quia fidei solius arma quæsierat, quibus se tectum munitumque satis credens, alia non desiderauit auxilia.

12. Negare non possumus mirabilia esse, quæ vel Sacramen- **CXXXV.**  
 tum hoc, vel ad Sacramenti præsentiam operatus est Deus. *Aug. l. 22. de*  
 mittimus noua, profecimus vetera. Refert B. Augustinus dia. *Guir: c. 8.*  
 bolos eo loco consistere non potuisse; vbi Sacramentum con- *Greg. 3 dialog*  
 ficiebatur. Testis est B. Gregorius muto restitutum linguæ v- *c. 3.*  
 sumper corporis Dominici impositionem. Apud Bedam legi- *Bedal. 4. hist.*  
 mus nullis vinculis potuisse constringi captiuum, quo tempore *Aug. x. 22.*  
 eiusdem frater huius Sacramenti sacrificium perageret. Labo- *Nazianz in*  
 rat in curabili morbo soror. B. Gregorij Nazianzeni; & ad altare *orat funeb.*  
 vbi Sacramentum conseruabatur reuoluta, non prius discedit,  
 quam vbi voti sui compos facta, de obtenta sibi sanitate gratu-  
 lata est.

13. Quando communem olim cum mortalibus vitam age- **CXXXVI.**  
 bat Saluator, absens auxilium afflictis afferre potuit; & tamen  
 ipsius præsentia non erat inanis. quocirca nec modo debet esse  
 superstitiosum, ex eadem aliquod bonum quærere: præsertim  
 quando populi pietatem, quæ in hac re non parum valet, atque  
 fidem, illa ipsa vehementer promouet.

14. Multa habet Christianus populus pietatis exercitia; quæ **CXXXVII.**  
 vt Deo grata esse certissimis argumentis depræhendit, ita ali- *Ruff. l. 1. c. 35.*  
 quod subsidium exspectari posse ex Christi corporis præsentia, *Chryf. in vita*  
 demonstrant. Babilæ corpus Daphnem per Gallum Impera- *Babilæ.*  
 torem translatum, dæmoni statim imponit silentium, teste Ruffi-  
 no. Chrystomo Sanctorum etiam adhuc superstitum ne vm-  
 bras quidem ijdem ferre possunt dæmones. Refert sanctissimos  
 E 2 Augusti-



*Aug. lib. 22. de C. cap. 3. Hier. in vita Hilari.* Augustinus terram sanctam; à locis sanctis Hierosolymorum in Africam allatam, præsentissimam contra eorundem incursum fuisse medium. Sola nominis IESV inclamatione Hilarion se munit aduersus eosdem humani generis hoites.

**CXXXVIII** 15. Si verò ea est vis reliquiarum sanctorum hominum: si tam potens eorum superstitum vmbra: si tantum valet puluis ex sancto loco allatus: tantum diuini nominis inclamatio: cur reus superstitionis agitur populus Christianus, quando ex Sacratissimi corporis Christi præsentia aliquod subsidiũ expectat?

**CXXXIX** 16. In circumgestatione ergo superstitiosum est nihil. Ipsa per se mala non est. honestus est finis, ob quem suscipitur. & caret crimine, ex Christi corporis præsentia commodum aliquod sperare. Eiusdem generis est, quod eodem sacramento Crux in aère formetur, & Christiano populo benedicatur. Quid enim, an crucis signatio damnatur; an damnatur quod sacramento fiat, an quod profutura credatur?

**CXL** 17. Primum probat veneranda antiquitas. Apostolos signo Crucis vsos esse, testis est Abdias. Hortatur Cyprianus, muniamus frontem Cruce, vt signum Dei incolume seruetur. muniamus & os, vt diuisum Christum victrix fateatur lingua. Vult B. Ambrosius, vt in omnibus à signo crucis auspicemur. Denique Tertulliani hæc est oratio. Ad omnem (inquit) progressum atq; promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calcamentum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubicula, ad sedilia; quæcunque conuersatio nos exercet, frontem Crucis signaculo terimus.

**CXLI** 18. Alterum, nempe, quod Sacramento fiat, damnare non possumus. Non prohibetur lege diuina; non repugnat sacramenti institutioni; non damnatur à veneranda antiquitate. Excitat fidem: erigit spem: pietatem promouet: inflamat ad creatorem redamandum studium.

**CXLII** 19. Quod denique hanc crucisignationem vtilem esse possumus credere, probant quæcunque vsum signi Crucis commendant. Docet Athanasius omnia magica hoc signo compesci, idola deseri, veneficia omnia frustrari. Hoc se armat Hilarion contra im-



tra impotentissimos dæmones. In hoc etiam post desertam & Hier. in vita  
 proditam religionem Christianam, Apostata Iulianus, cum in Hila.  
 magno tremore esset, nec aliud subsidium haberet, quæsiuit & Greg. Naz. o-  
 inuenit præsentissimum remedium. In Carthagine ( verba sunt rat. 2. in Iuli-  
 Augustini ) Innocentia religiosissima fœmina de primarijs ipsius anum.  
 ciuitatis, in mamilla cancrum habebat: rem sicut medici dicunt, Aug. lib. 22.  
 nullis medicamentis sanabilem. Hoc illa à perito medico, & suæ de Ciuit. c. 8.  
 domui familiarissimo acceperat, & ad solum Deum orando se  
 conuerterat. Admonetur in somnis appropinquante Pascha, vt  
 in parte fœminarum obseruanti ad baptisterium, quæcunque illi  
 primitus baptizata occurrisset, signaret ei locum signo crucis  
 Christi: fecit; & confestim sanitas secuta est.

## CAPVT NONVM.

*Ostenditur cultum externum, qui Sacramento exhibetur,  
 non sapere pharisaicam hypocrisim.*

1. Ad hypocrisim referunt Aduersarij geniculationes, coniun- CXLIII.  
 ctiones manuum, tunctiones pectoris, aliosque corporis motus.  
 Nos pietatis dicimus esse exercitia. Illi se suam causam probasse  
 putant; si studia hæc subsannent, & pro Euangelij sui modestia  
 exhibent: Nos iustissima esse demonstramus exemplis maio-  
 rum; sacrarum literarum auctoritate, & communi omnium  
 consensu.

2. Procidit in terram ob Patris sui reuerentiam, vt se ipsi sup- CXLIIII.  
 plicem exhiberet, Christus. Ob eandem reuerentiam Apostolus Matth. 26.  
 vult, caput aperiat vir orans. Timore diuinæ Maiestatis percul- 1. Cor. 11.  
 fus, non audet ad cælos oculos leuare Publicanus. Percutit idem Luc. 18.  
 in suorum peccatorum detestationem, peccus. Niniuitæ in sacco Ioan. 4.  
 & ieiunio supplicant Deo. redit in gratiam Dei cilicio indutus 4. Reg. 21.  
 Achab. & horum, dum nos à longe exempla sequimur, hypo-  
 critæ iudicamur?

3. Pietas fuit Apostolorum temporibus aris ad geniculari, si CXLV.  
 Tertulliano credimus. Laudat B. Augustinus Imperatorē Theo- Tertul. de pœ-  
 dosium: nit. lib. 1.  
 Aug. serm. 25.



*Chry. hom. 66. ad pop.* **dosium:** quod submisso diademate ad sepulchrum piscatoris Petri supplicarit. Chrysostronus probat studium purpuratorum, quod fastu deposito, accedant sepulchra Martyrum, & stent Sanctis supplicaturi: Et quæ piè fiunt in Sanctorum honorem; impia sunt, cum præstantur Deo?

**CXLVI.** *Psal. 50. Ioan. 4.* 4. Scio placet Deo cor contritum & humiliatum. Scio quod Spiritus sit; & qui adorant, oportet in spiritu adorent & veritate. Scio, quod his indicijs non indiget, vt humanus ipsi animus pandatur: veruntamen quamuis inuisibilis Deo voluntas nota sit, & cordis intentio; non tamen frustra hæc assumuntur exercitia. Præcedit cordis pius affectus vt fiant; crescit iisdem idem, postquam facti sunt.

**CXLVII.** *In Clement. de religios. domi.* 5. Porro horum exercitiorum omnium neq; fuit olim, neq; adhuc iam est vna apud omnes ratio. Sunt qui passis palmis vbi adorarunt, easdem toti vultui superinducunt: alij curuât corpus, oculosq; humi defigunt. Muniût alij se cruce: alij osculantur manum. Apud Æthiopes non nisi stantes adorant: quam ceremoniam olim in Germania fuisse, hodie quædam non leuia probant argumenta; & id confirmat, quod Fratricelli, qui Germaniam infecerant, idcirco hæreseos damnati sint, quia in Christi corporis eleuatione non putarent assurgendum.

**CXLVIII.** *Philip. 2. Chry. hom. 24. in 1. Corinth.* 6. Procumbere, & ad Christi corporis præsentiam adgeniculari, vt communior, ita iustissimus ritus est. quoniam si ad vocem & virtutem nominis Iesu, omne genu flectitur cœlestium, terrestrium & infernorum: si Magi, Chrysostrono teste, cum tremore & timore procidentes, hoc corpus pannis inuolutum, in præsepi positum adorarunt: quanto magis ad ipsum in gloria adorandum, tam mente quam corpore procumbere conuenit?

**CXLIX.** *Aug. epi. 86. ad Casul.* 7. Debet tamen in his ceremonijs locum habere, quod B. Augustinus habet. quod vbi nihil certi statuit scriptura; mos populi Dei vel maiorum instituta, pro lege tenenda sint. De quibus, inquit, si disputare voluerimus, & ex aliorum consuetudine alios improbare; orietur interminata lucta: quæ labore fermocinationis, cum certa documenta nulla veritatis insinuet,



nuet, utique cauendum est, ne tempestate contentionis serenitas *Aug. lib. 3. de*  
charitatis obnubiletur. *doct. Chri. c. 9.*

8. Huic addimus ex eodem Augustino, nequaquam ritus **CL.**  
damnandos, quando rationem ipsorum assignare non possumus:  
Qui non intelligit, inquit, quid significet signum, & tamen sig-  
num esse intelligit; nec ipse premitur seruitute. Melius est vel  
premi incognitis, sed utiliter signis; quam inutiliter ea inter-  
pretando, à iugo seruitutis eductam ceruicem laqueis erroris  
inferre.

9. Singulorum tamen rationes assignare difficile non est. **CLII.**  
Dicimus breuiter, quæcunque hic assumuntur, causas habere  
æquissimas. Argumentum animi, Christi incarnationem & be-  
neficium, quo se in Sacramento relinquit, agnoscentis, est ma-  
nuum osculum: obstupescens ad tantam dignationem, palma-  
rum extensio: gratum se ob egregia dona exhibentis, corporis  
oculorumque inclinatio. Sed de his alij.

## CAPVT DECIMVM.

*Ostenditur ex ritu externo nequaquam confirmari  
impietatem, & Sacramenti Corporis Christi  
mutilationem.*

1. Damnabatur quarto loco, inter externos huius festi ritus, **CLII.**  
impietas; quia, ut dicitur, quando vna species, quod fit, circum-  
fertur, Sacramenti confirmatur mutilatio: quæ, quia cum Sacra-  
menti pugnare asseritur institutione, & esse præter omnem con-  
suetudinem venerandæ antiquitatis ( hæc enim, ut vtranque  
speciem docent sumendam, ita probant vtramque simul populo  
exhibendam & colendam ) non potest non grauissimo impieta-  
tis crimine nos notare.

2. In hac causa Aduersario satisfaciemus vbi, ostensum fuerit, **CLIII.**  
& vnam speciem sine alia posse confici; & integrum sacramen-  
tum al-



1 tum altera specie contineri: & denique esse sine crimine, qui in  
2 vna specie Christo honorem reuerentiamque exhibent. Ostendi-  
3 mus singula.

**CLIII.** 3. Quanquam verum sit, quod non nisi maximis de causis vna tantum species consecrari debeat; vnius tamen consecrationem ab altera non pendere, Christi probat exemplum, & ratio, vt confiteamur, demonstrat.

**CLV.** 4. Christus non vno eodemque momento consecrauit vtranque. primum sub panis specie corpus suum porrexit, & quidem illud, quod pro mundi salute in mortem iam traditurus erat: tum deinde postquam hoc, qua decebat reuerentia, Apostoli sumpsissent; ad alterius, vini scilicet, accessit consecrationem.

**CLVI.** 5. Docet B. Augustinus, vbi verbum accedit ad elementum fieri sacramentum: fieri igitur nequit, vt non diuersis temporibus fiat elementorum transmutatio; si, quo decet modo, rite ordinatus sacerdos à Christo traditis verbis in huius sacramenti confectione diuersis temporibus vtatur.

**CLVII.** 6. Idem confirmat, quod extra omne crimen fuerint olim sancti Patres, quando statim prima specie consecrata, in Sacramento Christum adorarunt: quodque iam Ecclesia Catholica, in vna eundem adorandum populo proponat, antequam alterius speciei consecratio perfecta est.

**CLVIII.** 7. Sed imperfectum Sacramentum altera specie exhibetur. Est quidem hoc verum, quod vtraque clarius singula, ad quæ significanda mysterium hoc à Christo institutum est, oculis hominum obijciat: altera nihilominus eadem omnia, licet obscurius, repræsentat.

**CLIX.** 8. Institutum est, vt mortis Dominicæ sit commemoratio. Quotiescunq; inquit Apostolus, manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis: Et hanc exprimit egregie vtraque species: vt quæ sanguinem exhibet à corpore diuisum. sed eiusdem symbolum esse etiam alteram tantum, Christi confirmat oratio, quando post solius panis consecratio-



secrationem hoc in memoriam sui peragendum sequentibus se- *Luc. 22!*  
culis præcepit.

9. Institutum est, ut sit symbolum vnionis, quæ est inter *CLX.*  
Christi fideles. Vnum corpus, inquit idem Apostolus, omnes  
sumus, qui de vno pane participamus. At quemadmodum hæc *1. Cor 10.*  
vtraque perfecte; ita perfecte vini, perfecte panis specie exhi-  
betur; cum & panis & vinum ex multis granis, vnum quid ef-  
ficiatur, vnionemque significet illius Corporis mystici, quod  
sumus in Christo Iesu, quicumque de vno altari participamus.

10. Institutum est, ut interioris & spiritualis refectionis, quã *CLXI.*  
operatur, sit sacramentum. Caro mea, inquit Saluator, vere est *Ioan. 6.*  
cibus. At cum animæ idem sit sitire, idem esurire; cur non licet *Matth. 5.*  
dicere, quod, quæ species est contra famem remedium, eadem  
quoque sitim extinguat? cur non vnaquæque perfectam animæ  
refectionem denotare potest?

11. Nihil vero prohibere potest, quod non sub altera, (hoc *CLXII.*  
tertio probandum fuit) specie suis Christo honor deferatur.  
quoniam non in diuersis speciebus diuisus; sed integer in vtra-  
que est, integer in altera, integer in singulis, quantumuis mini-  
mis, cuiusuis speciei particulis.

12. Non pertinet ad adorationis rationem; vna an duabus *CLXIII.*  
speciebus Christus proponatur. Non de speciebus, sed Christo in  
sacramento adorando, quæritur: quem quia præsentem totum  
in quacunque specie agnoscimus; possumus ut debemus, quo par  
est, religionis cultu prosequi.

13. Sed tamen, dicis, mutilationem Sacramenti altera tan- *CLXIII.*  
tum species exhibita confirmat. Cur quæso? Quia scilicet, sub  
altera specie posse dari insinuatur, quod sub altera tantum exhi-  
betur. Non id necessarium, sub vtraque potest porrigi, quod ex-  
hibetur sub altera, quemadmodum sepe vtraque exhibetur, non  
tamen vtraque, sed altera tantum, communicatur.

14. Deinde si in altera specie ratio Sacramenti constat ut demon- *CLXV.*  
stratum est; quid est, quod mutilari causamur Christi dona, *Cor. thes. 159. &c.*

F

poris



poris scilicet & sanguinis mysteria, dum sub panis tantum forma porriguntur & percipiuntur.

**CLXVII.** 15. Num forte Christi institutio vtranq; speciē postulat? Agnoscimus institutionem: agnoscimus & vtriusq; speciei institutionem. at quod vtraque species instituta, necessariò ab omnibus debeat suscipi, hoc probandum est. Differunt plurimum rei institutio, & institutæ rei præceptum.

**CLXVIII.** 16. Num vtranq; Christi requirit exemplum; vt qui vtranq; & percepit, & Apostolis distribuit? Sed aliud est exemplū Christi, aliud Christi mandatum. Si quæcunq; ille exemplo exhibuit, vim præcepti habent; non nisi post cœnam Eucharistia sumenda: non nisi post lotos pedes: non nisi à consecratis sacerdotibus: non nisi à viris, & quidem illis, qui dicere possunt, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.

**CLXIX.** 17. Sed mandatum Christi est, Bibite ex eo omnes. Primū omnium negatur præceptū includi hac oratione. Dicitio imperandi modo prolata, non semper præcepti vim continet. aliquando est precantis & obtestantis; vt illa, Miserere mei Deus &c. aliquando consilium dantis; vt cum dicitur, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus &c. aliquando voluntatem exprimit donantis, & conferentis aliquid; vt, Accipite Spiritū sanctū &c. aliquando est excitantis, & ad agendum aliquid inuitantis. Hoc loco, si non est precantis; si non donantis; si non consilium dantis; certe est excitantis & ad bibendum inuitantis.

**CLXX.** 18. Deinde sit ita, vim præcepti contineat Christi oratio: quomodo vero probabitur, eius transgressione, nos reos constitui? Apostolis, non nobis dictum est, Bibite ex iho omnes. & illi præcepto Domini obedientes, omnes, vt Euangelista testatur, ex eo biberunt. Quod si quæcunq; Apostolis mandata sunt, ad nos derivare volumus; etiam nobis relinquenda vxor est, relinquenda domus, relinquendi parentes. sed & iter suscipiendum ad Christi Euangelium per vniuersum orbem prædicandum.

**CLXXI.** 19. Deniq; concedatur etiam nos huius præcepti vim concernere: nunquid ergo singulis bibendi necessitas imposita est?

Non



Non est. Scire oportet mandatorum omnium, non vnam eandemque esse rationem. Quædam, inquit B. Augustinus, sunt omnibus communiter præcepta, quæ tamen non ab omnibus, sed singulis personarum generibus præstari possunt. quid si tale quid sit hoc, Bibite ex illo omnes?

*Aug lib. 3. de doct. Christ. c. 17.*

20. Eisdem rationibus aliud præsidium Aduersariorum, quod in Christi oratione, Hoc facite, constituunt, subuertitur. Nam si ad omnes volunt pertinere; nullam inter Sacerdotes Populumque relinquent differentiam: si ad Apostolos tantum ipsorumque successores; non possunt vtranque speciem populo, esse necessariam inde demonstrare. Præcepit Dominus faciendum, quod ipse fecit; non post vini sed panis speciei distributionem. Consecratum calicem non tam præbendum, quam in sui memoriam sumendum, dum percipitur, mandauit.

CLXXII.  
*Matth. 26.*

*1. Corinth. 11.*

21. Inepte vero ex illo. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & sanguinẽ eius biberitis &c. vtraque species tanquam necessaria, colligitur. Non species panis & vini; sed carnem & sanguinem vult Dominus percipi: quorum vtrunque, qui sub altera specie, non se sumere arbitratur, Christianus dici potest, esse non potest.

CLXXIII.  
*Ioan. 6.*

22. Neque igitur altera species exhibita Sacramenti mutilationem confirmat: neque altera suscepta, Sacramentum mutilat. Christi nihil derogatur institutioni: nihil præiudicatur exemplo: nihil læditur mandatum. Quin imo si altius rem repetere velimus; quam Sacramenti mutilationem vocat Aduersarius; eandem legitimum eius usum fuisse, & Christi Apostolorumque exemplo, & totius possemus Antiquitatis probare consensione. Sed hæc alium locum habent.

CLXXIII.

23. Et hætenus probatum sit, ex Forma nullum iustum habere argumentum Aduersarios, quo festi Corporis Christi damnant institutionem. cum æquissimus sit cultus interior, quo Sacramentum prosequimur: externus veronec habeat superfluum fastum, nec sapiat pharisaicam hypocrisim, nec prophanam superstitionem, nec sacrilegam impietatem.

CLXXV.

### CAPVT VNDECIMVM.

F 2

Ex



*Ex adiunctis ostenditur non iniquam esse festi Corporis Christi institutionem, & primum quidem ex Nomine & Tempore.*

**CLXXVI.** 1. Ex se atque tribus causarum generibus demonstrauius iniquam esse Aduersariorum accusationem; qua festum Corporis Christi traducunt. nunc adiuncta attendamus, atque vtrum ibi aliquod suæ causæ præsidium constituere possint, inquiremus. In horum genere sunt, Nomen festi: Tempus quo incurrit: Defectus eorum quæ integram ipsi possunt facere auctoritatem: deniq; Fructus, qui in festum pie peragentes redundant vberri-  
mi. Primum de Nomine, & Tempore.

**CLXXVII.** 2. Nomen longa iam consuetudine obtinuit, vt Corporis Christi dicatur; hoc quamuis iustissimum videatur: duabus tamen de causis Aduersarijs displicet. primò, quia institutum, in-  
*de reliq. & ve*  
*ne. sanct. in 6.* quiunt, festum est, vt esset Corporis & sanguinis Christi, non Corporis tantum. deinde, hac alterius partis compellatione, Sa-  
cramenti confirmatur mutilatio.

**CLXXVIII.** 3. Tempus, quo incurrit, est feria quinta post Trinitatis. In hoc non tam reprehenditur, quod tali die festum peragatur, quã quod astringatur ad definitum diem populus Christianus: populus inquam, qui per Christi sanguinem in veram absolutamque libertatem sit assertus, nec humanis traditionibus cogi possit.

**CLXXIX.** 4. Verum quis non intelligit, dum vel hæc scribere, vel docere audent Aduersarij, vnde quaque ipsos calumniandi occasiones arripere; & nihil ita perfectum absolutumq; apud Catholicos esse, quod non eorum, nolit, velit, debeat subire virgam censoriam? Sed tamen & in his satisfaciamus ipsis, ne si taceamus, causæ nostræ timere videamur.

**CLXXX.** 5. Et profecto in Nomine quæ sita accusatio, iniqua est. Non de nomine, sed re ipsa disputatur. Quæritur enim, conueniatne diem esse aliquem; quo summi illius beneficij, quod in Sacramento exhibetur, memoria peragatur. An verò dies illa à Sacramento, an ab vtraq; Sacramenti parte, an ab altera nomen habeat; quid obsecro interest?

6. Nun-



6. Nunquam fuit ea Catholicorum cogitatio, vt hac Corporis compellatione quidquam voluerint præter legislatoris mentem; vel vlla ratione Sacramenti mutilationem confirmare. Quod Corporis festum dicunt; hoc intelligunt esse & sanguinis: & quem corpori; eundem prorsus cultum exhibent & sanguini: nec sanguinem vnquam à corpore; nec corpus vnquam à sanguine diuidunt. CLXXXI.

7. Varijs ex causis festa habent compellationem. Habent quædam à numero dierum, vt Pentecostes: quædam à mysterio, cuius memoria repetitur, vt Resurrectionis: quædam à nominibus eorum, quorum mores, vitam & exitum suspicimus, vt Apostolorum, aliorumq; Sanctorum. quædam à ritibus, quos iisdem usurpat Ecclesia. atq; hoc modo, quod olim forte & Corporis & sanguinis Christi festum dictum est, postmodum potuit dici Corporis Christi festum, quia illo, in ea potissimam specie Christum veneramus, quæ symbolū est nō sanguinis, sed Corporis Dominici. CLXXXII.

8. Obtinuit & vsus loquentium, vt plura paucis verbis exprimamus. nec immerito. quoniam ex voluntate hominum habent voces, non solum quidd significent, verum etiam quantum significant. Quapropter licet festo hoc memoria agatur summi beneficij, communicatione corporis & sanguinis Christi exhibitij; non tamen necesse est, vtriusq; partis mentio fiat; quando nomen non vt partem, sed totum beneficium exprimat, assumitur. Sed de nomine resest, pergamus ad Tempus. CLxxxiiij.

9. Et hinc ingenium suum produnt Aduersarij, atque nodum in scirpo quærunt. Cum enim festi institutio ex se mala non sit; iustissimas etiam causas habeat, quemadmodum demonstratum est, quid interest, quo tempore celebretur? CLxxxiiij.

10. Sed tamen quoniam tantum valet ordo, cum in omnibus rebus, tum præcipue in Ecclesiæ sanctionibus, vt etiam Aduersarij damnent, quod Evangelici quidam historiã de nuptijs in Cana Galileæ in die passionis Christi: & in die Resurrectionis, historiã Natiuitatis: in die vero Ascensionis, historiã passionis interpretentur; profecto sine ratione factum esse nequaquam existimare possumus, quod feria quinta post Trinitatis Festum peragendum constituerit Ecclesia. CLXXXV.

*Kemnit. de diebus festis fol.*

724.



**CLXXXVI** 11. Fuisset quidem conueniens, vt quo die Pascha cum discipulis sumpsit Saluator, eodem cenæ Dominicæ, corporisq; Christi exhibiti solemnior esset memoria: sed quia triste illud & luctuosum est tempus, partim ob pænitentiam, quam tum piè Catholici suscipiunt; partim ob acerbam Christi mortem, quæ merito compassionem postulat: aliud maturo iudicio constitutum est, quo, vt huius beneficij memoria esset illustrior; & præteritorum temporum conditio, & ratio subsequentiū efficere poterat.

**CLxxxvij.** 12. Tale profecto est, quo festum diem peragunt Catholici. scilicet, quod concludit tempus, quo mysteria religionis Christianæ absoluit Ecclesia; & initum est ad illud, quod Peregrinationis vocamus. In primum illud non debuit incurrere, ne mens nostra in mysterijs illis recolendis interturbaretur: debuit hoc antecedere, vt admoneremur, quoniam, in tam difficili exilij decursu, viatico adiuti, spacium præsentis vitæ, cum voluptate percurrere possemus.

**CLxxxviij.** 13. Quid, quod illius temporis hæc conditio est, vt grati animi significationem, quam festum præcipue postulat, vel tum maxime declarare possimus? Cum enim occupationes Christiani populi sint minores; plura etiam natura suppeditet, quibus gratitudinem nostram testemur; quis non intelligit, maiori cum studio, minoriq; fortunarum dispendio, hoc ad illius beneficij gratam recordationem impendi?

**CLXXXIX** 14. Nisi forte iniquum iudicatur, certum statui diem & definitum. At si certa deputantur loca diuinis vsibus; si definitæ personæ, quæ sacris vacant; cur non possunt iisdem certa assignari tempora & dies?

**CXC.** 15. Status hic dies, præterquam quod diuinam in primis deceat maiestatem, etiam ad communem Rerum publicarum tranquillitatem & pacem facit non parum. sed & quorundam studia excitat, qui vix alijs quam his rationibus ad officium Christiani hominis præstandum adducuntur.

**CXCI.** 16. Neque tamen quia certum Ecclesia definit tempus, reliquo vult



quo vult tanti beneficij memoriam deponi ; quemadmodum neque, quia certis temporibus, olim suorum beneficiorum memoriam imperavit Iudais Deus, reliquis voluit non meminisse. Cupit Ecclesia gratiam hanc semper nobis versari ob oculos : & quibus potest rationibus Christianum populum ad continuam gratitudinem inuitat.

17. Cum ergo nec ob Nomen damnari festum debeat ; nec ini- CXCIJ.  
quum sit, quod post Trinitatis peragatur ; nec malum, quod eadem religiose peragendo certus dies sit definitus : manifestum est, adhuc integram esse ipsius auctoritatem, & frustra ad ipsum euertendum, tot ab Aduersarijs labores suscipi.

## CAPVT DVODECIMVM.

*Ostenditur non obesse festo Corporis Christi, quod careat testimonio S. Scripturae, traditionis Apostolicae, & venerandae antiquitatis.*

1. Martinus Kemnitius Concilij Tridentini Censor, & inter CXCIJ.  
hostes festi Corporis Christi non postremus, in principio statim *Kemn. in exa,*  
accusationis suae, etiam hanc machinam ad subuertendum fe- *Conc. Triden.*  
stum admouet ; quod nullo possit vel scripturae, vel Apostolicae traditionis, vel verae antiquitatis in veteri & puriori Ecclesia testimonio confirmari ? Urbanus inquit III. circa annum Domini 1260. primum excogitauit : deinde post annos quinquaginta Clemens V. anno 1311. in Viennensi Concilio ab omnibus obseruandum praecipit.

2. Grauis, vt videtur, accusatio haec est. sed tamen haeretica, CXCIJII.  
& hominis haeretici. Petimus verò, vtrum omnia, quae vel scripturarum, vel Apostolicae traditionis, vel antiquitatis verae testimonio probantur, sancta & rata haberi velit ? Si ita sentit, cur damnat Sacramentum Confirmationis ; cur exhibet exorcismos ? cur detestatur institutum vitae monasticae ? cur execratur defunctorum suffragia ? cur ridet sanctorum inuocationem &c. quae omnia  
partim



partim scripturarum, partim traditionis Apostolicæ, partim veræ antiquitatis testimonio probantur?

**CXCV.** 3. Antiquitatis testimonio potest probari, quod Eucharistia infantibus sit administranda. Apostolorum exemplo certum est *Thom. 3. p. 9.* B. Augustino, quod eadem nonieiunis, sed canatis porrigenda. *80. artic. 9.* Et disertis verbis scripturæ constat prohibitio de sanguine & suffocato: & tamen contrarium ibi præcepit Ecclesia ob irreuerentiam quæ Sacramento inferebatur: hîc verò sanguinem permittit & suffocatum; quod ratio, cur olim illa prohibita, amplius locum non habeat. *Actuum 15.*

**CXCVI.** 4. Sed forte non hoc vult dicere Aduersarius, quod quæcunq; scripturarum vel traditionis Apostolicæ, vel veræ antiquitatis testimonium habent, sancta sint: sed quod improbanda, quæ his carent. Verum si ita est, quæso nobis suos, quos habent ipsorum Ecclesiæ, probet ritus. Si probare non potest, cur nostros, quia his carent, damnat? Si potest, respondeat, cur qui vel testimonium habet scripturarum, vel traditionis Apostolicæ, vel veræ antiquitatis, toties innoventur? immutentur? transformentur?

**CXCVII.** 5. Non hanc Censuram Christus præscripsit Ecclesiæ. Ab vna voluit pendere cathedra: vnus vocem audire pastoris. Super Cathedrâ, inquit, Moysis sederunt scribæ & pharisæi, quæcunq; dixerint vobis facite. voluit loco publicanorum & Ethnicorum habendos, qui Ecclesiam non audierint. *Matth. 23.*  
*Matth. 19.*

**CXCVIII.** 6. Valuit tantum in veteri lege Sacerdotis iudicium: vt ipsius sententia non potuerit, nisi cum præsentissimo vitæ periculo, reijci; & in noua, vbi multo maior est prælatorum Ecclesiæ authoritas, ijdem illi in rebus definiendis statuendisq; nihil poterunt?

**CXCIX.** 7. Quid opus est in Ecclesia præsulibus & Principibus; si in rebus statuendis solum valere debet, vel antiquitatis, vel scripturarum, vel Apostolicæ traditionis testimonium? In quem finem collatæ sunt eidem à Christo clauis? Num ipsorum solum est, à peccatis absoluere, aliaque Sacramenta administrare; & non etiam leges condere, & bene viuendi normam præscribere?

8. Quanta



8. Quanta olim in ipsis nascentis Ecclesiæ exordijs, non ab CC. Apostolis solum; verum etiam ab Apostolorum successoribus in varijs mundi partibus, pie religioseq; sunt instituta; Cum vero iam nō minor autoritas illorum sit, qui in primorum locum suffecti sunt; cur nequeunt, quod ad Dei conspiciunt facere gloriam, & ad Christi nā Reipub. tranquillitatem, & ad proprium cuiusque spirituale commodum, statuere?

9. Non alia ex causa (loquimur cum B. Cypriano Martyre) CCI. hæreses obortæ sunt, aut nata schismata, quam inde; quod Sacer- Cyp. lib. 1. ep. 3. doti Dei non obtemperatur; nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, ad tempus iudex vice Christi cogitatur.

10. In fidei negotijs libenter acquiescimus, vel scripturæ, vel CCII. Antiquitatis, vel Apostolicæ traditionis testimonio. sed & illa, quæ mores vitamque formant, si his probentur, summum merito apud nos pondus habent: veruntamen omnia ad hanc regulam examinare, nequaquam conuenit. nunc temporum, nunc personarum, nunc locorum conditio aliud atq; aliud postulat.

11. Porro sicut pro nobis non sunt in præsentī negotio, vel Antiquitatis, vel scripturarum, vel traditionis Apostolicæ testimonia: ita neq; , quæ contra nos sunt, produci possunt. Concedimus non omnibus temporibus, festum Christi corporis fuisse: concedat & nobis Aduersarius nullis temporibus fuisse prohibitum. Si verò, quæ quandoque non sunt, aliquando iustè constituuntur: cur festum idcirco damnatur, quia non semper fuit?

12. Quod si non ipsam festi institutionem, sed rem, propter, CCIII. quam institutum est, attendamus; nihil præter Apostolorum traditionem, nihil præter venerandam antiquitatem, nihil præter scripturarum autoritatem hîc commissum reperiemus: quin imo studiosissime id perfectum; quod illa non obscuris argumentis à populo Christiano postulare videri possunt.

13. Imperat memoriam tanti beneficij sacra scriptura: Tradi- CCV. tio Apostolica est, vt in honore habeatur Sacramentum: Idem Matth. 26. eo loco habuit veneranda Antiquitas, quo Christum Saluato- 1. Cor 11. rem; vt quem hîc præsentem agnoscimus: & iam impij atq; sacrilegi



erilegi habebimur; quod integro die, vt his pietatis studijs nos  
totos impendamus, vacemus?

CCVI.  
*Psal. 73.*

14. Regio Prophetæ, olim Impiorum hominum hæc fuit ora-  
tio, hoc consilium. Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à  
terra: idem probant Aduersarij, qui se Euangelicos dicunt. vt  
iam amplius mirum non sit blasphemos esse in eos, qui in cælo  
degunt, Sanctos Dei, in eiusque sanctissimum tabernaculum  
Virginem Matrem; quando nec à Dei gloria exhibilanda, viru-  
lentas linguas continere possunt.!

## CAPVT DECIMVMTER- TIVM.

*Refutatur calumnia, qua festum Corporis Christi traducitur,  
ob Indulgentias, quæ illud religiose peragentibus à  
summis Pontificibus concessæ sunt.*

CCVII.

1. Quod in omnibus rebus, ad hominum animos excitan-  
dos plurimum valet; id in Christi corporis festi institutione sibi  
non negligendum putauit Ecclesia Catholica: vt fidelem popu-  
lum non rei solum honestate & æquitate ad digne summi illius  
in Eucharistia exhibiti beneficij memoriam peragentem inui-  
taret; verum etiam spe præmij & egregij fructus alliceret.

CCVIII.

11. Etenim licet apud sapientes plus soleat valere honestatis  
studium, quam spes consequendi fructus: & licet non tam inge-  
nui videatur esse animi vrile sectari, quam virtutis amore duci:  
in rebus tamen per se honestis, spes fructus tantum abest, vt ob-  
esse possit, vt etiam ad honestatis studium magnum sit calcar.

CCIX.

*de reliquijs &  
ven. S.S.*

3. Duabus vero, inter alias, rebus inuitat, remissione, vt Vr-  
banus loquitur, peccaminum, quam Christiani festum colen-  
tes sperare possunt; & Indulgentijs, quæ iisdem auctoritate Pon-  
tificia conferuntur. Vtraque multis rationibus iustissima cen-  
setur Catholicis: at Aduersarijs vtraque impijssima.

4. Et



4. Et quia Indulgentiarum nomen satis exosum reddiderunt, **CCX.**  
satis sibi videntur fecisse; si non tam probent male illas conferri; *Kemn. in exa.*  
quam recitent solum, quæ in hoc genere partim promittuntur ab  
Ecclesiæ prælatis, partim à fidei populo suscipiuntur. Iudicant  
rem indignam Indulgentias promittere: indignam Pontifices  
promittere: indignam ob talem finem promittere: indignam  
tanto numero promittere. Hæc Kemnitius.

5. Singula hæc breuissimè ( neque enim propria sunt huius **CCXI.**  
loci ) expendamus. Primum igitur, quia Indulgentiæ sunt  
temporalium pœnarum post obtentam iustificationem con-  
ditiones; recte ipsas constituerimus; si docuerimus primum  
post sublatam culpam, redintegrata Dei amicitia solutionem ali-  
cuius pœnæ quandoq; restare: deinde etiam probauerimus, ean-  
dem aliorum subsidio remitti posse, autoritate eorum; quos sui  
gregis Pastores esse voluit Saluator.

6. Pœnas, remissa culpa, nonnullas manere reliquas, scri- **CCXII.**  
ptura clamat, Patrum vnanimis consensus probat; ratio deniq;  
ipsa atque experientia demonstrat.

7. Orat Dominum Moyses, remittat populi peccatum. au- **CCXIII.**  
dit statim diuinum responsum, Dimisi ( inquit ) iuxta verbum *Num. 19.*  
tuum. sed quid? manet post peccatum remissum grauis persoluē-  
da pœna. Omnes, subiungit, homines, qui viderunt Maiestatem  
meam, & signa quæ feci in Ægipto & solitudine, & tentauerunt  
me iam per decem vices; non videbunt terram, pro qua iuraui  
Patribus. Rex Dauid ad orationē Nathan compunctus confite- *2. Reg. 12.*  
tur peccatum suum; & translatum esse didicit ex ore propheta:  
sed tamen non omnis cum culpa transfertur pœna: morte mo-  
ritur, cum summopatris dolore filius. Promisit Deus spiritum  
nouum populo suo apud Ezechielem, quo instructus in man- *Ezech. 36.*  
datis eius dicitur ambulaturus, & iudicia eius custoditurus: &  
tamen postquam hoc spiritu fuerit instructus, pœnitentiam præ-  
teritorum peccatorum non deponet; sed viarum pessimarum  
recordabitur, & displicebunt iniquitates olim perpetratæ.

7. Consentiant cum his scripturæ locis Sancti Patres Augu- **CCXIII I.**  
stinus



*Aug. lib. de medic. pœnit.* 6. 5. stinus sic habet. Non sufficit mores in melius commutare, & à præteritis malis recedere; nisi etiam de his, quæ facta sunt satisfiat Domino per pœnitentiæ dolorem & humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificiũ, cooperatoribus eleemosynis & ieiunijs.

*Hie. in epitaphio Paulæ.*

*Greg. hom. super illud. facite fructus.*

In eandem sententiam locutam Paulam scribit B. Hieronymus. Turpanda est, inquit, facies, quam contra Dei præceptum purpurisso & cerusa, & stibio sæpe depinxi. Affligendum corpus; quod multis vacauit delicijs. longus risus perpeti compensandus est fletu. mollia linteamina & serica preciosissima, austeritate cilicij sunt commutanda. Nec dissentit B. Gregorius. Cogitandum sumopore est, inquit, vt qui se illicita meminit commisisse; à quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hæc Creatori suo satisfaciat. Reliquorum Patrum eadem sententia est.

**CCXV.** 8. Probat idem quotidiana, quam experimur, miseria. Quam fædæ ex sola Originis labe in toto homine residuæ sunt cicatrices? quam turpia ubiq; eiusdem vestigia? Hinc frequens ille intellectus nostri error; praua voluntatis vota; iniqua inferiorum virium rebellio, pertinax inter carnem & spiritum pugna; corporis totius languor, partiumque imperata exequi solitarum tarditas; omnis generis morbi, & certus tandem vitæ interitus. Iam si Originis peccatum, quod inter lethalia minimũ est, post acceptum baptismum; talia relinquit post se vestigia; quid de cæteris, quæ post regenerationis lauacrum ex instituto perpetrantur, & leui aliquando contritione inducuntur, cogitare par est?

**CCXVI.** 9. Sed & diuinæ iustitiæ ratio, suauius eiusdem ordo & dispositio poscebat; ne tota semper pœna vna cum culpa relapsis condonaretur. Nam etsi Deo proprium sit misereri & parcere: attamen, vt post vetustissimos Ecclesiæ Patres Tridentina annotauit Synodus, iustitia illius poscebat, vt aliter ab eo in gratiam reciperentur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquissent; aliter qui semel à peccatis liberati scientes, denuo Dei templum violassent.

**CCXVII.** 10. Idem naturæ nostræ infirmæ & cæcæ requirebat conditio, quem



tio, quem enim finem peccandi quidam fecissent, vel quomodo non liberius peccata perpetrassent, si qua opera culpa, eadem remitteretur omnis pœna.

11. Veruntamen harum pœnarum, quæ post culpam remissam, residuæ sunt, posse esse condonationem, certum est: nec ab ullo, quod sciam etiam homine hæretico negatur. Negatur forte aliorum opera & satisfactione obtineri posse. Sed existere in Ecclesia cœleste aliquod Gazophilatium, x Christi Sanctorum-que meritis conflatum; venerandorum Conciliorum autoritas, concors Patrum sententia, & ratio ipsa demonstrant. **CCXVIII.**

12. Quid enim, ut de solis Christi meritis loquamur, an non multa plura erogavit Christus Dominus, quam totius generis humani exigebat debitum? Cum vero tantos labores non frustra suscepit, neq; in cassum sanguinem fuderit; quis dubitat, quin voluerit copiosos illos suorum laborum fructus religiose asseruari? **CCXIX.**

13. Si vero asseruantur; quæso in quem asseruantur finem, nisi ut in Christiani populi utilitatem quandoque expendantur? Sed ad culparum forte voluit valere relaxationem. At tam insignes labores non ita ad culparum coarctavit remissionem, ut pœnarum promeritarum veniam excluderet. **CCXX.**

14. Quod vero ad ærarij huius Ecclesiastici curam attinet, certum est eam aliquibus oportere esse commendatam. Certum est etiã non penes profanos Rerum publicarum esse Magistratus. Certum denique aut totam, aut magna ex parte penes summum totius Ecclesiæ esse Pastorem. An forte vni frustra dictum est. *Matth. 16.* Tibi dabo claves regni cœlorum; & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis?

15. Thesaurus igitur aliquis est in Ecclesia. est & potestas ipsum dispensandi. est etiam potestas hæc apud supremum Ecclesiæ Pastorem. Poterit ergo ob finem pium expendi. non enim frustra aut ipse thesaurus, aut ipsum dispensandi potestas relicta est. Poterit denique (ut extremum inferamus) ob studium populi Christi **CCXXII.**



si Christiani, erga venerabile & adorandum sacramentum ex-  
poni.

**CCXXIII.** 16. Quot enim in hoc studio sunt plenissimæ pietatis causæ? voluerunt his præmijs propositis, & huius thesauri spe Pontifices confirmari fidem populi Christiani, eamque frequentatione diuinorum officiorum omnibus probari. Voluerunt vehementer accendi pietatem, vt in eo disceret spem omnem fiduciamque reponere; cuius liberalitatem tam manifestis signis & argumentis deprehenderet: voluerunt debito honore & cultu prosequeretur sub sacramento latentem; quem cum maiestate crederet ad dexteram patris residentem.

**CCXXIII:** 17. Redundare quoque poterat hæc pietas ad proximos, ijsque magnum esse calcar, aut ad simile studium erga Sacramentum declarandum; aut ad melius de Sacramento sentiendum. Poterant sic confundi Christianæ fidei desertores, quando quem ipsi impie recusant honorem; tanto studio deferre obseruant melius sentientem Christianum populum.

**CCXXV.** 18. Nisi forte indignum iudicatur, vt spe præmij Christianus populus excitetur. At si impij, timore supplicij recte arcentur, ne libidini suæ faciant satis; boni non possunt inuitari spe mercedis ad studium honestatis? Commendatur Moyses, quod grandis factus negarit se esse filium filiarum Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias existimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi. & tamen aspiciebat, inquit Apostolus, in remuneratorem. Et Christus veritatis Magister hortatur, faciamus amicos de mammona iniquitatis, ob spem scilicet futurorum bonorum; vt cum defecerimus vices rependant, & recipiant nos in æterna tabernacula.

**CCXXVI:** 19. Displicet etiam tanto numero Indulgentias concessas esse. quanto vero? quod qui ipso die festo interfunt primis vel secundis Vesperis, Missæ vel Matutinali officio, centum: qui alijs diuinis Horis, obtineant quadraginta dierum relaxationem, infra octauam vero diebus singulis itidem centum. Verum cum iustissima causa sit, ob quam conferantur Indulgentiæ, non ex operis,



operis, quod exposcitur, quantitate; sed ex causa æquitate ipsarum valor æstimandus est.

## CAPVT DECIMVM

### QVARTVM.

*Declaratur quo sensu ad peccatorum remissionem valere dicatur festi Corporis Christi observatio.*

1. Male habet Martinum Kemnitium, quod ad remissionem peccatorum festum servari dicatur. verum quam ob causam non docet. suspicor communem illam & omnibus locis decantatam esse: quia scilicet fides est sola, qua iustificamur, qua peccatorum remissionem consequimur, & qua in filios Dei, & æternæ vitæ hæredes ascribimur. **CCXXVII.**  
*Kem. ubi sap.*

2. Verum licet certum sit, quod B. Petrus docet, Deum fide hominum corda purificare: sola tamen fide purificare non certum est, sed falsum, sed hæreticum. **CCXXVIII.**  
*Actuum. 15.*

3. An forte ad nihil proficiunt, quæ à Christo vero Samaritano tanquam vasa diuinæ gratiæ instituta sunt Sacramenta? nunquid quando baptismum Apostolus imperat ijs, qui oratione sua commoti, remedium salutis expetebant; putavit frustra eundem suscipi, & non potius ad remissionem valere peccatorum? Et Christus quando post triumphatum diabolum, suis discipulis potestatem contulit peccata dimittendi, solum vult attendant fidem; quam si habent, statim dignos iudicent veniam peccatorum? **CCXXIX.**  
*Ioan. 20.*

4. Nimis crassa hæc Philosophia est. Quare si quando fide hominem iustificari docet scriptura, vult eo sensu verba intelligenda Concilium Tridentinum, quem perpetuis Ecclesiæ consensu tenuit & expressit: ut scilicet idcirco per fidem iustificari dicamur, quia fides humanæ salutis initium est & fundamentum: & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium peruenire. **CCXXX.**  
*Concil. Trid. sess. 5. c. 8.*

5. Multos scriptura modos, qui ad peccatorum remissionem faciunt, proponit. Illos B. Augustinus his verbis perstringit. **CCXXXI.**  
*Mundan-*



*Aug. lib. 2. cont. Cresc. c. 15*  
*Ioan. 15.*  
*Psal. 50.*  
*Luc. 12.*  
*1. Petr. 4.*  
Mundantur verbo veritatis ab illo, qui ait, Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Mundantur & sacrificio contriti cordis ab illo, de quo dictum est: Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Mundantur & eleemosynis, ab illo qui ait: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Mundantur ipsa, quæ supereminet omnibus, charitate, ab illo, qui per Apostolum Petrum dixit. Caritas operit multitudinem peccatorum, Hæc B. Augustinus.

**CCXXXII.** 6. Si vero ad peccatorum remissionem proficiunt sermo Christi cum fructu perceptus; sacrificium cordis contriti, & humilis spiritus; eleemosynæ in proximos ex commiserationis affectu erogata; & quæ omnibus supereminet charitas: cur negatur ad eandem prodesse, quæ ex egregio erga Christum amore proficiscitur, quam Sacramento exhibemus, pietas?

**CCXXXIII.** 7. Sed tamen neque nostra illa mens est, neque fuit vel Urbani Pontificis, vel Catholicorum vnquam, solo pietatis studio, quo Christum in Sacramento prosequimur, peccatum remitti. Docemus, post baptismum relapsis vnum poenitentia sacramentum esse, per quod in gratiam redire possunt: quo neglecto frustra de reliquis peccatorum lethalium remedijs adhibendis agitur. Si quis dixerit, inquit Concilium Tridentinum, eum qui post baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere: aut posse quidem, sed sola fide amissam iustitiam recuperare, sine Sacramento poenitentia, prout sancta Romana & vniuersalis Ecclesia, à Christo Domino & eius Apostolis edocta, hucusque professæ est, seruauit & docuit, anathema sit.

**CCXXXIII** 8. Quocirca quemadmodum ad remissionem peccatorum facere dicuntur, eleemosynarum elargitio, sermo Christi, remissio iniuriarum, correctio fraterna, aliaque Christiana iusticia officia: ita peccata remitti hoc pietatis, quod Christo in Sacramento impenditur, studio, credendum est.

**CCXXXV.** 9. Scilicet argumentum est amoris egregij erga suum Creatorem quo diuina clementia (Neque enim non potest, non redamare



damare amantem) prouocatur ad gratiæ suæ dona immeritis  
conferenda, quibus postmodum instructi, per secundam post  
naufragium tabulam portum salutis ingrediuntur.

io. Hinc est, vt res non tam sit plena periculi, Deum in Sa- **CCXXXVI**  
cramento adorare; quam Sacramentum percipere. Percipere cū  
conscientia peccati mortalis sine crimine non potes; adorare po-  
tes. Oportet probet se homo, si de illo pane velit manducare:  
non necesse probatus sit, si velit adorare.

ii. Quod dum dicimus; non adorationem sumptioni præfe- **CCxxxvij.**  
rimus, vt falso nos docere dicunt hæretici: sed minus asserimus *Rem. vbi sup.*  
periculosam. Alioquin multo maximi sunt fructus, qui ad di-  
gne hæc Sacramenta percipientes proueniunt; quos difficulter  
omnes, qui adorat tantum, percipere potest.

TANTVM ERGO SACRAMENTVM  
VENEREMVR CERNVI,  
ET ANTIQVVM DOCUMENTVM  
NOVO CEDAT RITVI:  
PRÆSTET FIDES SUPPLEMENTVM  
SENSVVM DEFECTVI.



H AD EOS



AD EOSDEM RR. DOMI-  
NOS BALTHASARVM VVEL-  
gandum & Ioannem Rullium.

**H**IC FINEM ACCIPIT RR. DD.  
de festo Corporis Christi, & Deo in Sacramen-  
to Eucharistiae adorando Disputatio. quam vt  
sub vestro patrocínio in lucem æderem, insignia  
in me nostrumque ordinem collata beneficia fecerunt. Ad-  
huic Assertionẽ de Obligatione Sacerdotum ad Missæ sacro-  
sanctum officium celebrandum: ad quam nuper meorum con-  
discipulorum quidam, sub eodem mecum Præside respondit;  
inprimis (quod Typographus cupiebat) ne chartæ aliquot  
vacuæ relinquerentur: deinde etiam quod idem fere cum no-  
stra disputatione argumentum tractaret. Poterunt VV.  
RR. ex eadem intelligere, quàm iniquè ab Aduersarijs tra-  
ducamur, dum nos festi Corporis Christi pompam, vero Sa-  
cramenti vsui, qui in Sumptione consistit præferre passim  
iactitant. VV. RR. hoc meum studium ex grato animo  
profectum boni consulant, meq; sibi semper commendatum  
habeant.

VV. RR.

addit.

F. Franc.

DE



DE OBLIGATIONE SACERDOTVM AD SACROSANCTVM MISSÆ OFFICIVM CELEBRANDVM, assertio Theologica.

I



**S**ACERDOTVM VT VARIIS SVNT ordines, ita non vna eademq̄ omnium ad Sacrum Missæ officium peragendum obligatio est. Quosdam, vt Religiosos, regula; quosdam, vt Curatos, muneris quod subeunt, ratio; quosdam beneficiorum, quæ possident, conditio docet, quoties, & quanta ipsis incumbat necessitas celebrandi. Præter hos alij quidam sunt liberiores, quos neque Regula, neq̄ Officij ratio, neque beneficiorum conditio cogit; sed quorum ad sacrificium celebrandum omnis ex solo Sacerdotij titulo necessitas petitur. De quibus sequentibus thesibus definitur.

His igitur quemadmodum nulla lege iam præcipitur singulis diebꝰ tremenda mysteria peragere, ita nulla prohibetur. Si peragant, bene faciunt: si omittant, nullo se crimine obstringunt. Sed tamen quia melius est benefacere, quàm non facere male; melius est quotidie sacrum celebrare, quàm pluribus diebus, etiam ex reuerentia, à sacrificio abstinere.

Semel in hebdomade celebrare, aut sæpius, laudem meretur: vt tota sacrificium intermittatur, sine crimine quidem contingit; remissum tamē & negligentem arguit animum, præsertim quando externarum rerum multitudo tanta esse non potest, quin tantillum ocij Sacerdoti permittat, vt qua par est, reuerentia tantis mysterijs adesse possit. Omnibus diebus Dominicis communicandum suadet & hortatur B. Augustinus cap. 53. de Eccles. dogm.

Vt vnicum tantum in mense peragatur sacrificium vix vlla videntur posse excusare occupationes: quanquam, qua decet animi præparatione, vel in mense etiam semel sacris operari mysterijs, magni beneficij loco sit habendum.

Solemniore festis, qualia sunt Pascha, Pentecostes, Natalis Christi,

I.

II.

III.

IIII.

V.



Christi, B. Virginis Matris, Omnium Sanctorum, &c. ut missam celebret Sacerdos, ratio ipsa dictare videtur. Qui verò propter occupationes iisdem diebus occurrentes, festa aut praevent, aut celebrando proxime subsequitur, suum honorem iisdem tribuisse videtur.

**V.I.** In longū tempus Sacrificium transferre, reprehensione nō caret. Dilationem quidem nemo tanquam crimen damnat; sed tamen qui excusent sunt pauci: qui probent nulli. Ne occumbamus periculo, periculum caueamus. Sacerdos, inquit Vener. Beda, non legitime impeditus celebrare omittens, quantum in eo est, priuat sanctam Trinitatem laude & gloria, Angelos letitia, Peccatores venia, Iustos subsidio & gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam spiritali Christi beneficio, & Seipsum medicina & refrigerio.

**VII.** Ut toto anno non celebretur, nullæ possunt esse iustæ causæ: sola potest excusare necessitas. In reuerentia Sacramenti nullum est patrocinium. Reuerentia nulla est, nullam toto anno reuerentiam exhibere Sacramento, & muneris, quod geritur excellentissimi, functiones officiaq; intermittere. Non audemus tales grauioris arguere peccati, sed nec videmus qua ratione à peccato excusamus. Cauendum (dicitur in Concilio Cabil. II. c. 46.) ne si nimium in longum differatur perceptio Corporis & Sanguinis Domini, ad perniciem animæ pertineat, dicente Domino, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitā in vobis.

**VIII.** Nunquam tremenda mysteria perficere probat nemo; damnāt omnes. Siquidem beneficium confertur propter officium, & ne in vanum Dei gratiam suscipiamus, hortatur Apostolus. Christi quoq; sententia est, Seruum pigrum, qui nullum lucrum ex talento sibi concredito fecit, non solum Domini sui incurrere indignationem; sed & iuste talento priuari, & in tenebras eijci exteriores, ibiq; grauisimas pœnas, ut fletus, & dentium stridor testantur, luere.

**IX.** Expedit quā frequentissime sacrificent sacerdotes, & non solum solliciti sint, ne peccēt omittendo, sed etiam, ut profint frequentius celebrando.

1. Probant hoc Maiorum exempla. Pro infinitis sufficiant S. Andreas, qui omnipotenti Deo **QUOTIDIE** se professus est immolare, non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum. Ignatius martyr (qui ut Metaphrastes habet) iussus à Traiano Imperatore, Dijs sacrifici-



sacrificaret, libera voce respondit, Christi sum sacerdos, et ei **QVOTIDIE** sacrifico. Cyprianus, qui Florentio cuidam (epist. 9. lib. 4.) se puro & immaculato ore sacrificia, & in persecutione pariter et pace **INDESINENTER** offerre scribit. Ambr. (epist. 33.) qui **QVOTIDIE** se testatur instaurare Sacrificium, pro filijs, quos eripere gestiebat Imperator Valentinianus. Chrysostomus, cuius hac oratio est (hom. 17. ad Heb.) Nonne **QVOTIDIE** offerimus? Et Cassius Episc. Narinensis, qui **QVOTIDIE** lachrymis, ut B. Gregorius loquitur (lib. 4. dia. c. 56.) inter secreta sacrificij se mactabat. Refert Hippolytus inter benedictos Dei Patris, qui extremo Iudicij die ad possidendum regnum caelorum vocandi sunt, numerandos sacerdotes: propterea, quod pure sacrificium obtulerint nocte & die, ac pretiosum corpus & sanguinem immolarint **QVOTIDIE**. Siritius & Innocentius I. Pontifices, hac ratione suadent perpetuam continentiam, quod **QVOTIDIE** Deo sacrificia offerant Sacerdotes. Denique primi Christiani, qua ratione potuerunt **QVOTIDIE** perseverare in fractione panis, ut **Aetuum** Historia docet, si non quotidie panis consecratur?

2. Probat ratio officij Sacerdotum. Omnis enim Pontifex, inquit **Apostolus**, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in ijs, quae sunt ad Deum, ut **OFFERAT** dona & sacrificia pro peccatis, qui condolere possit ijs, qui ignorant & errant. quoniam & ipse circumdatus est infirmitate, & propterea debet, quemadmodum pro populo, etiam pro semetipso offerre pro peccatis.

3. Probat Christi desiderium & praeceptum; qui ut in memoriam eius, hostia haec offeratur disertissimis verbis in ultima illa cena mandavit: tantoque gratiorem eius fore frequentationem insinuavit; quanto magis, ut passionis eius in nos redundet beneficium, desiderat.

4. Probat propositi cibi, & vitae nostrae conditio. Panis est quotidianus. **Augustino** (lib. 2. de serm. dom. in monte.) Si quotidianus est, cur de die in diem transfertur? cur non accipitur quotidie, qui prodest quotidie? aut cur petitur quotidie, et oblatus respuitur superbe? Panis est vitae Christi Domino. Non velimus eo privari, inquit **Martyr Cyprianus** (serm. 6. de oratione dom.) ne excludamur a salute. Coelestis est medicina **Ambrosio** (lib. 4. cap. 6. de sacra.) debeo igitur semper accipere, qui semper pecco & medicina indigeo.

H 3

5. Probat:



1. Probat actionis ipsius quæ peragitur præsentia, ut quæ maior præcedentibus temporibus fuit nulla, nec futura est frequentibus omnibus.

6. Probant insignia, quæ ex hac actione, in totam Ecclesiam redundant commoda. quæ sunt, Sanctissimæ Trinitatis honor, Angelorum lætitia, Sanctorum gloria, Peccatorum venia, subsidium & gratia Iustorum, Mortuorum refrigerium, pax & tranquillitas Reipub. Christianæ, beneficium totius Ecclesiæ copiosissimum.

7. Probant egregia, quæ cum eadem actione coniuncta sunt Christianæ pietatis exercitia. Qualia sunt. Examen conscientiæ, peccatorum detestatio, propositum melioris vitæ, summa erga Creatorem & redemptorem, quem præsentem agnoscimus, reuerentia, mentis in Deum eleuatio, temperantia, maturitas morum, &c.

8. Probant qui ex frequentato mysterio, ad celebrantem redeunt fructus, quos Doctores inter alios numerant duodecim: viuificare scilicet, relaxare, inflammare, patientiam dare, nutrire, restaurare, unire, communicare, sanare, conseruare, roborare, perducere.

9. Probat Maiorum nostrorum studium & pietas, qui ut frequentissimum hoc esset sacrificium, tot erexerunt altaria, tot construxerunt templa, tot esse voluerunt, qui altari deseruirent, sacerdotem, tot pro eorundem sustentatione bona facultatesq. donarunt.

10. Probant pro Ecclesiasticis viris tot sancitæ leges; quæ partim continuas ipsis preces, partim à mulieribus continentiam, partim à prophanis occupationibus ocium; non ob aliam causam imperare videntur, quàm ut quæ in tam sancto negotio impedimenta esse possent, tollerent, studiumque promoverent.

11. Probant leges quæ frequens sacrificium imperant; & grauissimæ in negligentiores sacerdotes institutæ Censuræ. Concilium Toletæ. I. cap. 5. sic statuit. Presbyter vel Diaconus, vel subdiaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus clericus, si intra ciuitatem fuerit, vel in loco, in quo Ecclesia est, aut castella, aut vici sunt, aut villa: si ad Ecclesiam, aut sacrificium **QVOTIDIANVM** non venerit: clericus non habeatur, si castigatus per satisfactionem veniam ab Episcopo noluit promereri. In eadem sententiam loquuntur Patres Concilij Arausici (cap. 3.) Statuimus



mus (inquiunt) ut non tantum Dominicis diebus et præcipuis festivitati-  
bus Episcopi Missas celebrent, sed cum possibile fuerit *QUOTIDIANA*  
quoque sacrificia frequentent, nec fastidiant. Lateranens. Synodus in qua  
Patres præfuerunt 1285. sic habet. Dolentes referimus (de Celeb. Miss.  
lib. 3. c. 41.) quod non solum quidam minores Clerici, verum etiam aliqui  
Ecclesiarum Prælati circa commestiones superfluas & fabulationes illi-  
citas (ut de alijs taceamus) fere medietatem noctis expendunt, & somno  
residuum relinquentes, vix ad diurnum concentum auium excitantur,  
transcurrendo vndique continuata syncopa matutinum. Sunt & alij qui  
Missarum solemnia vix celebrant quater in anno & (quod deterius est)  
interesse contemnunt, & si quando dum hæc celebrantur intersint, chori si-  
lentium fugientes intendunt exterius colloquutionibus laicorum, dumque  
auditum ad indebitos sermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad  
diuina. Hæc igitur & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus,  
districtè præcipientes in virtute obedientiæ, ut diuinum officium  
nocturnum pariter atq; diurnum, quantum ijs dederit  
Deus, studiose celebrent pariter  
& deuote.

### ERRATA SIC CORRIGE.

Fol. 2. altera pag. versu secundo lege petijt. thesi 117. Theo-  
dorici. thesi 120. Constantinopolim. thesi 135 proferimus, &  
incurabili. thesi 137. sanctissimus, & præsentissimum. thesi  
218. ex. &c.

MOGVNTIÆ EX OFFICINA CASPARI  
BEHEM, Anno M. D. LXXXV.



MOCVNTIE EX OFFICINA CASARI  
BEHEM, Anno M. D. LXXV.





Aug v̄ 47

X 219 7898 sb.

W





bis do mi nus

in sa ba o th



Diz

**A** non no

rum



panem de cae

lis

dat un bis







DISPUTATIO  
**THEOLOGICA**  
DE FESTO CORPORIS  
CHRISTI, ET DEO IN SACRAMENTO  
Eucharistiæ adorando,  
IN ACADEMIA MOGVNTINA  
Anno M. D. LXXXV. Ad Aprilis  
publicè proposita.

AD QUAM PRO BACCALAVREATUS  
gradu consequendo, responsurus est R. D. F. Fran-  
ciscus Franck, Ordinis S. Dominici professor,

PRÆSIDE  
PETRO THYRÆO SOCIETATIS IESU  
SV SS. THEOLOGIAE DOCTORE  
& Professore Ordinario.

Psalm 75.  
*Cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquæ cogitationis diem  
festum agent tibi.*

At impij.  
*Incenderunt igni sanctuarium tuum, & in terra polluerunt taberna-  
culum nominis tui. Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul:  
Quiescere faciamus omnes dies festos à terra. Psalm 75.*

Moguntiz, ex officina Casparis Behem.

